EVTROPII EPITOME BELLI GALLICI EX SVETONII TRANQVILLI MONVMENTIS QVAE DESIDERANTVR.

In C. Iulij Cæsaris commentarios de bello Gallico ac Ciuili, Henrici Glareani poetæ laureati annotationes.



LVTETIAE
Ex officina Roberti Stephani typographi Regij.
M. D. XLIIII.


BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

EVTROPII EPITOME BELLI GALLICI EX SVETONII TRANQVILLI MONVMENTIS QVAE DESIDERANTVR.

ANNO *ab Vrbe cõdita* DC.XCIII, C. *Iulius* Cæsar, *qui postea imperauit, cũ* L. Bibulo COS. *est factus.* A *Decreta est ei* Gallia *Trãsalpina & Cisalpina, &* Illyricum, *cum legionibus denis in quinquenniũ datis:* Galliã *Comatam postea* Senatus *adiecit.* Hanc *historiam* Suetonius Tranquillus *plenissimè explicauit, cuius nos cõpetentes portiũculas decerpsimus.* Heluetiorũ *animos fortissimos* Gallorum *omnium gentis, ea uel maxima causa, quòd perpetuo penè cum* Germanis *bello altercabantur, à quibus* Rheno *tantum flumine dirimũtur,* Orgetorix *quidam princeps gentis, spe totas inuadendi* Gallias, *in arma accenderat.* Quo *cæteri optimates correpto, ad mortẽ coacto, cohibere tamen animatas semel in prædam plebes nequiuerunt.* Qui *coniuratione facta, ac die dicta exustis uicis & domibus suis, nequod desiderium & spes reuertendi foret, profecti sunt.* Quos *cum ad* Rhodanum *fluuium* Cæsar *obuios habuisset, magno difficilique bello bis uicit, uictos ad deditionem coegit.* Horum *fuit, cum primum progressa est omnis multitudo,* Heluetiorum, Tulingorũ, Latobrigum, Rauracorum *&* Boiorũ, *utriusque sexus, ad centum quin-*

quaginta septem millia. Ex his quadraginta & septẽ millia in bello cecidere. cæteri in terras proprias remissi sunt. Postea Cæsar contra Ariouistum regẽ pugnans, excitantem inuehentémque secum incredibiles Germanorũ copias, quibus nuper uniuersos Galliarũ populos se subegisse iactabat, apud Sequanos fugere cõpulit. Cúmque diu exercitus Cæsaris Germanorum multitudine & uirtute perterritus, pugnam detrectasset, Ariouistus in Germaniã arrepta nauicula Rhenũ transuectus aufugit. Vxores eius duæ, totidémq; filiæ captæ sunt. Fuerunt autem in exercitu Ariouisti, Arudes, Marcomãni, Triboci, Vangiones, Nemetes, Sebusij & Sueui. Pugna maximè grauis ex phalange Germanorũ fuit, quam coacto in unum agmine, scutísque supra capita contextis, ad irrũpendam Romanorũ aciem tuti undique præstruxerant. Sed postquam Romanorum aliqui militum agilitate audaciáque insignes, supra obductam saliere testudinẽ, scutísque uelut squammis singillatim reuulsis, desuper nudos deprehensorũ detectorum humeros perfoderunt: territi hostes nouo mortis periculo terribilẽ dissoluêre compagem. Exinde in fugam uersi, per quinquaginta millia passuum insatiabiliter cæsi sunt. Neq; conijci numerus Germanorũ potuit, uel quantus pugnæ affuerit, uel quantus fuerit occisorum. Post hæc Belgarũ gens, quæ tertia pars Galliarum est, aduersus Cæsarem exarsit: quorum distributim copia hæc fuit. Bellouaci, qui cæteris numero & uirtute præstare uiderentur, habuere lectissima sexaginta millia armatorum: Suessiones ex duodecim oppidis quinquaginta millia: Neruij, quorũ adeò feritas prædicabatur, ut nũquam mercatores ad

se accedere sinerent, uina, cæteráque uenalia deferri, quibus inducta iocunditas torporem uirtutis afferret, habuere similiter L. *millia:* Atrebates *etiam &* Ambiani *decẽ millia:*Morini *uigintiquinque millia:* Menapij *decem millia:*Caleti *decem millia:* Velocasses *&* Veromãdui *decem millia:*Aduatici XVII *millia:*Cõdures *&* Eburones *atq;* Cæresi *&* Pæmani*, qui uno nomine* Germani *uocantur, quadraginta millia.*Ita *omnes simul fuisse referũtur ducenta octoginta duo millia armatorum lectissima.*His *igitur repentè è siluis erumpentibus, exercitus* Cæsaris *perturbatus, atque in fugam actus, plurimis suorum amissis, tamen hortatu ducis restitit, uictoréque aggressus, usque ad internicionem penè deleuit.* Igitur Cæsar *magnis in* Gallia *rebus gestis, cum in* Italiam *proficisci decreuisset,* Galbam *cum legione duodecima ad* Veragros Sedunósque *misit.* Qui *cum hiemandi causa in uico* Veragrorum, *cui nomen erat* Octodorus, *consedisset, mediúmque oppidi, quod torrente distinguebatur, accolis concessisset, quadam die eosdem decessisse pariter per noctem, ac proximo insedisse colli uidet.* Quippe *illi paucitatem uix mediæ legionis despectui habentes, ultroneam nullo cessuram negotio uictoriam arbitrabãtur, finitimósque suos in hanc cædis & prædæ societatem uocauerant.*Igitur Galba *tam præsentibus & grauibus periculis circunsepto, ac trepido, atque inter uarias consultationes certi consilij mœrto, repentè* Galli *descensu montis effusi, castra imperfecta circundant, raros per uallũ propugnatores saxis telísque onerant.* Cúmque *iam castra irrumperentur,* Pacuuij *primipilaris, &* Voluseni *Tribuni consilio, cunctis* Romani *portis*

eruperunt, incautósque subito aggressi hostes primum perturbauerũt: deinde in fugam uersos miserabili strage fuderunt: nam amplius quàm XXX.M. barbarorũ tunc cæsa referuntur. Igitur Cæsar cum iam pacatas uniuersas Galliarum gentes putaret, ad nouum & maximum bellum retractus est. Nanque cum P. Crassus adolescens cum legione septima Oceano uicinus apud Andegauos hiemaret, Veneti cæteríque confines repentè in arma coniurant, legatos Rom. uinciũt, eósque ita demũ se reddituros, si obsides suos recipiãt, Romanis indicant. Socios ad id bellum Osissinos, Lexouios, Nãnetes, Ambibaritos, Morinos, Diablintres & Menapios adsciscunt, auxilia quoque à Britannia accersunt. Cæsar per Crássum de rebellione deditarum gentium certior factus, quanuis intelligeret quanta ineundi belli difficultas esset, tamen rem tanti negotij nõ negligendam ratus est, ne cæteris exemplo huiusmodi audẽdi licentia laxaretur. Itaque terrestri prælio persequi hostes frustra aggressus: quippe cum hostes per interfusa ex Oceano æstuaria, atque inaccessos recessus, tutis terrarum finibus munirentur, naues longas ædificari in Ligeri fluuio iubet, per quem in Oceanum mitterentur. Quæ mox ut hostibus uisæ sunt, continuo ducentæ XX naues eorum paratæ, atque omni genere armorum instructissimæ progressæ, portu ex aduerso steterunt. Bruto circunspicienti imparem longè nauium esse conflictum, quia Barbarorum naues solido robore intextæ, saxorum modo adactos rostrorũ ictus retundebant, hoc primum auxilio fuit, quòd falces acutissimas non pertinaciter contis præfixas, funibus autem subnexas parauerat, quibus quum opus esset, ap-

prehensos eminus rudentes subductis hastilibus per funem falcem retrahendo succideret. His celeriter expeditis, *disrumpi hostilium antennarum armamenta praecepit. ita antennis ruentibus, complures illico naues uelut captas immobiles reddidit. Alij hoc periculo territi, suspensis uelis, quà uentus intenderet, fugere conati sunt: cessante uento ludibrio fuere* Romanis. *Itaq; incensis omnibus nauibus, & interfectis qui pugnauerant,* Galli *reliqui sese dediderunt.* Sed Cæsar *maximè ob iniuriam legatorum, & ut genti ad omnia consilia mobili terribilis exempli notam inureret, cunctis principibus tormentis interfectis, reliquos sub corona uendidit.* His *diebus* Titurius Sabinus *legatus* Cæsaris, Aulercos, Eburouices, Lexouiósque, *qui primates suos, cum auctores belli resuscitandi esse nolent, interfecerãt, eruptione facta incredibili cæde deleuit.* P. *ueró* Crassus *cum in* Aquitaniam *peruenisset, bello exceptus est.* Nanque Sõtiates *magno equitatu pedestribúsque copijs praeualidis adorti, diu grauiter perturbauerunt: pòst uicti, atque in oppidum* Sõtiatum *coacti, obsessíque, cum se expugnari uiderent, armis traditis in deditionem recepti sunt.* Aquitani *clade permoti, undique exercitum contrahunt: de citeriori quoque* Hispania *auxilia accersunt.* Duces *bello maxime eos praeficiunt, qui cum* Sertorio *militauerant.* Hi *omnes dum obsidionem* Crasso *parant, in castris suis* Crasso *obrutæ deleti sunt.* Nam *ex* Aquitanis & Cantabris, *quorum quinquaginta millia tunc in auxilium uenerãt, triginta & octo millia cæsa referuntur.* Cæsar Germanos *qui* Rhenum *cum immensis copijs transierant simul & totas* Gallias *subijcere sibi parabant, bello*

adortus, usque ad internicionem cecîdit: quorum fuisse numerum ad quadringenta quadraginta millia ferunt. Tunc Cæsar in Germaniam facto ponte transgreditur, Sicambros & Vbios obsidione liberat: Suevos maximam & ferocissimam gentem, quorum esse centum pagos & populos multi prodidere, totámque Germaniam aduentu suo terret. Mox in Galliam resciso ponte se recepit. Domuit autem annis nouem omnem Galliã, quæ inter Alpes, fluménque Rhodanum, Rhenúmque, & Oceanum est, & circuitu patet ad bis tricies centena millia passuum. Inde ad Morinos uenit, unde ad Britanniam proximus & breuissimus transitus est. Nauibus circiter onerarijs atque actuarijs octoginta præparatis in Britanniam transuehitur, Britannísque bellum infert, quibus ante eum ne nomen quidem Romanorum cognitum erat. Ibi acerba pugna primùm fatigatus, deinde aduersa tempestate correptus, plurimam classis partem, & nõ paruum numerũ militum, equitatum uerò penè omnem disperdidit. Regressus in Galliam legiones in hiberna dimisit, ac D C. naues utriusque commodi fieri imperauit. Quibus iterum in Britanniam primo Vere transuectis, dũ ipse in hostem cum exercitu pergit, naues in ancoris stantes tẽpestate correptæ, uel collisæ inter se, uel harenis illisæ ac dissolutæ sunt, ex quibus X L perierunt: cæteræ cum magna difficultate reparatæ sunt. Interea Scæua miles Cæsaris cum quatuor commilitonibus nauicula antè transuectus est ad scopulũ insulæ propinquum, atq; interea recessu Oceani destitutus est. Complures Britanni in paucos Romanos impetum faciunt: cæteri tamen qui perrari comites i-

psius fuerat, nauigio redeūt: Scæua imperterritus manet, undique telis obrutus: ac primò pilo restitit, postremò gladio rem gerit solus in plures. Cúmque fessus uulneratúsq; esset, & galeam ac scutum ictibus perdidisset, cum duabus loricis natauit ad castra Cæsaris, & poposcit ab imperatore ueniā pro temeritate: quē Cæsar centurionatus honore subuexit. Igitur Cæsaris equitatus primo congressu à Britannis uictus, ibiq; Labienus Tribunus occisus est. Secundo prælio cū magno suorum discrimine uictos Britannos in fugam uertit.

Inde ad flumen Tamesim est profectus, quē uno tātum loco transmeabilē ferunt. In ulteriore ripa fluminis cum Cassouelauno duce immensa hostiū multitudo consederat, ripámq; fluminis, ac penè totum sub aqua uadū acutissimis sudibus præstruxerant. Quod ubi à Romanis deprehēsum ac uitatum est, barbari legionū impetū non ferētes, siluis se abdidere, unde crebris eruptionibus Romanos grauiter ac sæpe lacerabāt. Interea Trinobantū firmissima ciuitas, cum Androgorio duce datis quadraginta obsidibus Cæsari se dedidit. Quod exemplum sequutæ urbes aliæ complures in fœdus Romanorum uenerunt, obsidibúsque datis stipendiariæ factæ sunt: ijsdémque demonstrantibus Cæsar oppidum Cassouelauni ducis inter duas paludes situm, obtentu siluarū munitum, omnibúsq; rebus cōfertissimum, graui tandē pugna cepit. Exin Cæsar à Britannis reuersus in Galliam, postquam legiones in hiberna misit, repentinis bellorū tumultibus undiq; circunuētus & conflictatus est. Nanq; Ambiorix cū Eburonibus & Aduaticis conspirans, Treuirorū consilio, Tituriū Sabinum & Aurūculeiū Cottam legatos apud

Eburones cum tota funditus legione insidijs circumuentos interfecit. Ambiorix hac uictoria elatus, Aduaticos & Neruios, plurimósque alios raptim in arma contrahit, atque ad Ciceronem legatum, qui similiter tunc legioni praeerat, in hiberna contendit. Multitudo ex hoc hostium colligi potuit, quia cum obsidione castrorum uallum circundendum esse à captiuis Romanis docerentur, & instrumenta ruralia non haberent, gladijs concidendo terram, & sagulis exportando, uix tribus horis uallum X pedum, & fossam X V pedũ per millia passuum X V in circuitu fecerunt. Praeterea centum uiginti turres mirae altitudinis extruxerãt. Et cũ iam septem dies noctésque succidui hostium cunei pugnarent, ac uentus subitò exortus esset plurimus, testas feruentes intorsere fundis, flammatásque focis tela, ac mox concepto igne rutilantia inter castra iecerunt. Quo facto, per culmea culmina raptim uentus insistẽs sparsum animauit incendium. Sed nec sic quidem Romani, cum undique obruerẽtur uulneribus, laboribus, ieiunijs, uigilijs, incendijsque, cesserunt. Tandem Caesari nuntiatum est unam legionem deletam esse, alteram iam penè confectam. Aduentante cum duabus legionibus Caesare, deserunt hostes obsidionem, atque in eum cunctis raptis copijs ruunt. Caesar paruissimis se castris consultò condidit, equitibúsque praemissis, ut fugam fingerent imperauit, ut ad transitum uallis, quae media erat, sibíque periculosa uidebatur, hostes contemptu sui inuitaret. Quibus aduentantibus, insuper obstrui portas praecepit. Quo uiso Galli, quasi iam uicissent, ad obducendum extrinsecus uallum conuersi sunt. Caesar totis repentè portis paratum effudit exer-

citum: acritérque cum eis dimicans, tandem uidit unũ ex militibus suis segnius prœliantem, scutúmque eius rapuit, & in aduersos ruit. Quo facto erubuit exercitus, uersósque in fugam Gallos, uastissima cæde confecit. Nam sexaginta millia tunc fuisse referũtur, è quibus pauci per paludes muras euaserunt. Induciomarus Treuirorum princeps, magnas armatorum copias habens, postquam de consensu totius Galliæ certior redditus est, Labieni castra, legionémque cui præerat, quod facile factu arbitrabatur, delere statuit, ac deinde Eburonibus Neruijśque coniunctus, ad opprimendum Cæsarem pergere. Labienus quibus potest artibus timorem simulat, atque ita Induciomarũ negligentiorem cum insultantibus copijs pro uallo oberrantem repentina eruptione prostrauit. Hac uictoria Labieni, reliqui Gallorum conatus repressi sunt, & Cæsar paulo quietior reliqua parte hiemis fuit. Sed intelligens sibi maiora belli superesse negotia, maxime quia plurima exercitus parte amissa, alijśque grauiter sauciatis, ne ad sustinendum quidem sibi idoneus, non dicam ad comprimendum Gallorũ impetum uideretur, à Cn. Pompeio Procõsule conscribi legiones, sibiq; mitti in auxilium fecit. Itaque ante hiemem exactam, tres ad eum legiones in castra uenerunt. Igitur Cæsar priusquam in unum hostium copiæ coirent, ineũte Verno aggredi trepidos, & opprimere sparsos in suis finibus parat. Primum itaque Neruiorum fines diripit: prædam uerò, quæ copiosissima erat, exercitui permittit. Deinde Menapios, qui sibi propter immẽsas paludes, atque impeditissimas siluas munitissimi uidebantur, tribus agminibus inuadit, nimiáque cæde

uulgò agitata residuos supplices in deditionem accepit. Labienus sequenti prælio omnes Treuirorum copias interfecit, arte in bellum prouocatas, priusquam Germanis aduentantibus iungerentur: & continuo ipsam ciuitatem cepit. Cæsar ulcisci mortem Sabini & Cottæ legatorum uolens in Ambiorigem & Eburones deletæ legionis auctores, postquam in Arduennam siluam refugisse comperit, quæ silua totius Galliæ maxima est, atque à ripis Rheni, finibúsq; Treuirorũ ad Neruios usque pertingit, & in longitudine plusquam quinquaginta millibus passuum patet, permetiens rem suis maximi periculi fore, si per obstructas spatiosas siluas ignoti diuiderẽtur, hostémque loci gnarissimum quærerent, omnem Galliam per nuntios inuitat, ut quisque secundum placitum suum reconditas in Arduenna silua prædas quærant diripiántque. Quo facto Gallis utrinque moriẽtibus maximas Romanorum iniurias sine cuiusquam Romani discrimine uindicauit. Ita hoc tutissimo uincendi genere securus in Italiam rediit. Igitur Cæsare in Italiam reuerso, rursus Gallia in arma coniurat, multique simul populi coeũt. Dux his Vercingetorix fuit, cuius consilio statim omnes Galli ciuitates suas ultro incenderunt, prima à suis incensa Biturico. Inde ad Cæsarẽ, qui magnis itineribus per Narbonensem prouinciam clàm ad exercitum recurrerat, impetum faciunt. Cæsar tunc oppidum nomine Genabũ obsidione concluserat: quod diu oppugnatum tandẽ post multas Romanorũ clades pluuio die cum hostilium machinarũ amenta neruiq; languerent, applicitis turribus captum atque deletum est. Quadraginta millia hominum ibi fuisse referunt: è quibus uix

LXXX *homines per fugam elapsi ad castra proxima* Gallorũ *uenerunt*. *Præterea* Aruerni *cæterique confines, solicitatis etiam ad se* Hedu*is, multis aduersus* Cæ*sarem prælijs bellauerunt*. Q*ui cum se pugnando fatigati in quoddam oppidum recepissent, milites prædæ inhiãtes, ad expugnationem oppidi animum intendũt, frustra* Cæ*sare de loci iniquitate causante*. I*taque ibi* Cæ*sar erumpentibus desuper hostibus pressus, multa exercitus sui parte perdita uictus aufugit*. D*um hæc ad* A*lexiam geruntur*, V*ercingetorix, quem omnes consensu pari regem præoptauerant, suadet uti ex tota* G*allia omnes qui arma ferre possẽt, huic bello præstò sint: hoc enim esse unum bellum, quo aut perpetua libertas aut æterna seruitus, aut mors omnium consequatur.* I*taque absque eo numero quem infinitum antè cõtraxerat, equitum circiter octo millia, peditũ ducẽta quinquaginta millia contracta sunt*. D*ehinc duo colles sibi inuicem obuersos* R*omani* G*allique cœperũt, unde multis sæpe eruptionibus & uarijs euentibus præliantes, tandem* R*omani præcipua* G*ermanorũ equitum, quos sibi iandudum amicos, nunc in auxilium adsciuerant, uirtute uicerunt*. V*ercingetorix alia die congregatis omnibus qui fuga euaserant, dixit se auctorem bona fide defendendæ libertatis, atque rumpendi fœderis fuisse*. E*t nunc siue* R*omanis sese ad mortem offerant, siue se solum pro omnibus dandum, paratum animo fore*. I*taque* G*alli uoluntatẽ quam pudore aliquandiu texerant, quasi ex consilio regis assumerent, illico sibi ueniam precantes, eum solum uelut auctorem magni sceleris dediderunt*. B*ellouaci omnibus* G*allorum gentibus ipsorum opinione fortiores habe-*

bantur. Hi Chorreo duce bellum instaurant, sibíque in hanc suscepti belli societatem Ambianos, Aulercos, Caletos, Bellocasses, Atrebatásque coniungunt, & locum quendam cinctum atque impeditum undique paludibus capiunt. Commissóque prælio, magnam Rhemorum manum, quæ auxilio Romanis ierat, trucidant. Deinde cum opportunum ipsi locum insidijs prouisum occupauissent, atque hoc comperto Romani ad insidiarum locum instructi ordinatique uenissent, commisso prælio Romani Gallos fugientes ijsdem locorum munitionibus quibus clausi fuerant, incluserunt, cunctósque ad internicionem ceciderunt. Ibi Chorreus uel fugam uel deditioné detrectans, Romanos ut uiuus caperetur instantes, occidendo ut occideretur coegit. Igitur cum pacatam Galliam uniuersam Cæsar, neque ausuram fore ad aliquos aspirare motus arbitraretur, legiones in hiberna dimisit. Ipse autem Ambiorigis fines, qui tot bella excitauerat, hominum horrenda strage uastauit. At uerò C. Caninius legatus bellum apud Pictonas inuenit, ubi magna hostium multitudo impeditam itinere legionem circundedit, atque ad extremum discrimen adduxit. Porrò autem Fabius legatus acceptis Caninij literis, in Pictonas proficiscitur: ibique à captiuis de opportunitate locorum certior factus, inopinantes hostes opprimit: magnísque stragibus factis, plurimas prædas agit. Deinde quum Caninio signum aduentus sui dedisset, Caninius totis castris subitò insiluit, seséque iniecit hosti. Ita Fabio ex una parte, & Caninio ex altera insistente, maximo & diuturno bello innumeræ Gallorum copiæ trucidatæ sunt. Inde Fabius in Carnutes profectus est. Sciebat enim Deo-

nacum ducem antiquissimum totius rebellionis incentorem ab hoc bello elapsum, si Armoricis gentibus adiunctus esset, maximos iterum tumultus esse in Gallia moturum. Sed eos adhuc ipsa nouitate trepidantes, mira uirtute & celeritate perdomuit. Interea Drapes unáque Lucterius cum adesse Caninium & legiones in finibus suis uiderent, undique collectis copijs oppidum Vxellodunum occupant. Hoc oppidum in editissima montis arce pendebat: duabus partibus per abrupta latera non paruo flumine cingebatur: medio deinde descensu largissimo fonte securum, plurimáque introrsum copia frumenti tutum, irritos procul discursus hostiũ despiciebat. Caninius, quod solum Romana prouisione potuit, ambos duces cum parte copiarum plurima in campum euocatos, maximo prælio superauit. Nam uno è ducibus interfecto, alter cum paucissimis fugit, nullus in oppidum rediјt. Sed ad id oppugnandum Cæsare opus fuit. Itaque certior per nuntios factus Cæsar occurrit, circunspectísque omnibus, uidet si expugnare ui moliatur, ludo & spectaculo hostiũ delendũ esse exercitum suum: unũ solũ esse præsidiј, si quoquo modo hostes aqua arceantur. Sed & hoc quoque nisi Cæsar non potuisset. Siquidẽ fons, quo ad potum utebãtur, medio deuexi montis latere fundebatur. Cæsar ad proximum fontis admoueri uineas, turrímque extrui iubet. Fit magnus illico concursus ex oppido: quibus sine periculo præliãtibus, Romani quãuis pertinaciter obsisterent, crebriúsque succederent, tamen complures trucidantur. Igitur extruitur agger, & turris pedum LX, cuius uertex adæquare ad fontis locum possit, ut uel ex æquo tela cõіjci queant, uel præ-

cipitata desuper saxorum uolumina non timeri. Oppidani autem ubi exanimari siti non solum pecora, uerumetiam infirmiores hominum ætates uident, cupas pice, seuo & scandulis repletas, ac deinde immisso igne, in prona præcipitant, eásque ipsi toto oppido fusi subsequuntur. Ardētibus machinis cū graue prælium suis Cæsar ac periculosum uideret, cohortes in circuitu oppidi ire ualociter per occultum imperat, atque undique subitò uastum clamorem attollere. Quo facto consternati oppidani, dum recurrere ad muniendum oppidum uolunt, ab oppugnatione turris, uel demolitione aggeris recesserunt. Illi tamen qui ad incidendas fontis uenas sub obtentu aggeris tuti cuniculos perfodiebant, repertos in abstruso aquarum meatus, per multa diuidendo, tenuari in semetipsis consumíque fecerunt. Oppidani fonte siccato ultima desperatione correpti, deditionem sui faciunt. Cæsar autem omnibus qui arma tulerant, manus sustulit, & uitam reliquit, quò testatior esset etiam posteris pœna improborum. Multum enim ad coercendam audaciam ualet propositum punitionis exemplum, quum ipsa miseri præsens forma uiuentis, & ad recordationem admonet conscios, & ad sciscitationem cogit ignaros. Exhaustis itaque atque edomitis Gallis securus Cæsar cum legionibus in Italiam rediјt, nullos post se Gallorum motus pertimescens, certò se sciens minimè aliquos, qui uel moueri audeant, uel si moueantur, timendi sint, reliquisse. Anno ab Vrbe cōdita 697. M. Licinius Crassus collega Cn. Pompeij Magni in consulatu secundo prouinciam sortitus in Parthos, homo inexplebilis cupiditatis, audita in Hierosolymis templi

opulentia, quam Pompeius intactam reliquit, in Palæstinam diuertit, Hierosolyma adiit, templum peruadit, opes diripit. Inde per Mesopotamiam tendens in Parthiam, quacunque iter habuit, socijs ciuitatibus auxilia indixit, pretia exegit. Mox ut Euphratem transijt, illico Bagesen ab Horode rege Parthorũ ad se missum obuiam habuit: à quo uehementer increpatus est cur contra fœdus Luculli & Pompeij auaritia inductus Euphratem transierit: quamobrem sine mora futurum ut pro auro Parthico Serico ferro oneraretur. Inde cum prope Carras contra omina & auspicia uẽtum esset, Parthi subitò ingruentes cum Surena & Sylace præfectis, sagittis oppressere Romanos. Cecidere ibi plurimi senatores, aliquot etiam cõsulares & prætorij uiri. Crassus quoque filius Crassi lectissimus iuuenis in acie occisus est. Præterea quatuor cohortes cũ Varganteio legato medijs deprehensæ campis & interfectæ sunt. Surenas rapto equitatu Crassum persequi intendit, eúmque circunuẽtum, ac frustra colloquium eius petentem cepit, & in castra perduxit, ac postremum auro in os eius infuso interfecit. Pauci noctis beneficio liberati, Carras confugêre. Cognita clade Romanorum, multæ Oriẽtis prouinciæ, à societate uel fide po. Ro. defecissent, nisi Cassius Quæstor collectis ex fuga militibus paucis, intumescentem Syriam egregia animi uirtute ac moderatione pressisset: qui & Antiochum copiásq; eius ingentes prælio uicit, & interfecit. Parthos quoque ab Horode in Syriam missos, idmque ingressos Antiochiam, bello expulit, ducémque eorum Hosagen interfecit. Igitur Romani status agitur semper alterna mutatio, uelut forma Oceani maris, quæ

omni die dispar, nunc succiduis per septem dies tollitur incrementis, nunc insequentibus totidē diebus naturali dāno & defectu interiore subducitur. Anno ab Vrbe condita D C C incertum unde concretus, plurimam Vrbis partem ignis inuasit. Neque unquā antea tanto incendio correptam atque uastatam ciuitatem ferunt. Nam quatuordecim uicos cum uico Iugario consumptos fuisse memoriæ proditū est. Hinc iam bellū ciuile cōmittitur, quod magnis iā dudū dissensionibus ac molitionibus parabatur. Nā Cæsar rediens uictor ex Gallia, decerni sibi absenti alterū consulatum poposcit. Cōtradictum est à Marcello consule, à Bibulo, à Catone, annitēte Pōpeio. Deinde decretū est à Senatu, ut in Vrbē Cæsar nō nisi dimisso exercitu ueniret: & ex Marcelli C O S. auctoritate ad legiones quæ apud Luceriā erant, Cn. Pōpeius cum imperio missus est. Cæsar Rauennam sese cōtulit. M. Antonius & P. Cassius Tribb. pl. pro Cæsare intercedētes, interdicente Lētulo C O S. curia foróque prohibiti, ad Cæsarem profecti sunt, Curione simul Cælióq; comitantibus. Cæsar Rubicone flumine trāsmeato, mox ut Ariminum uenit, quinque cohortes, quas tunc solas habebat, cum quibus, ut ait Liuius, orbem terrarū adortus est: quid facto opus esset edocuit. deplorās iniurias suas, causam belli ciuilis pro restituendis in patriā Tribunis esse testatus est. Inde per Antoniū septem cohortes quæ apud Sulmonē morabantur, à Lucretio recepit. tres legiones quæ cum Domitio apud Corfinium morabantur, ad suas partes trāsduxit. Consules cum Cn Pōpeio, Senatúsque omnis, atque uniuersa nobilitas ex Vrbe fugit, atque in Græciam transijt. Apud Dyrrachium Epirúmque, Mace-

doniam & Achaiam, Cn. Pompeio duce Senatus contra Cæsarem bellum parauit.

CAESAR DICTATOR.

CAEsar uacuã urbem ingressus, Dictatorẽ se fecit, negatámq; sibi ex ærario pecuniã fractis foribus inuasit, protulítq; ex eo auri põdo quatuor millia centũ triginta & quinque: argenti põdo propè nongenta millia. Inde digressus Ariminum ad legiones, mox Alpes transuectus, Massiliã uenit: ob quam oppugnandã, cum receptus non esset, Treboniũ cum tribus legionibus reliquit. Quo bello miles duodecimæ legionis aduersus eos nauali certamine pro Cæsare dimicans, hostilem nauem dextra apprehendit: qua amputata, læuã iniecit, neque antè dimisit, quàm mergeretur. Cæsar deinde ad Hispanias cõtendit, quas L. Afranius, & M. Petreius, & M. Varro, Pompeiani duces cum legionibus obtinebant. ibi multis prælijs Petreium Afraniúmque superatos, composita pactione dimisit. In ulteriore Hispania duas legiones à M. Varrone suscepit. Similiter & duces eius, Curio Catonẽ Sicilia expulit, Valerius Cottam Sardinia, Tuberonẽ ab Africa Varus eiecit. Cæsar rediens Massiliam obsidione domitam, uita tantum & libertate concessa, cæteris rebus abrasit. At uero Dolabella partium Cæsaris in Illyrico per Octauium & Libonem uictus, copijsque exutus, ad Antoniũ fugit. Basilus & Sallustius ducẽtes singulas legiones, quibus præerãt, similiter & Antonius, Hortẽsius quoq; ab infero mari cũ classe cõcurrẽs, omnes pariter aduersus Octauiũ & Libonẽ profecti, & uicti sunt. Antonius cũ se Octauio cũ quin-

decim cohortibus dedisset, omnes ad Pompeiũ à Libone deducti sunt. Curio ex Sicilia in Africam cum exercitu trãsgressus est: quẽ Iuba rex cõtinuo exceptum cũ omnibus copijs trucidauit. Octauius Salonas oppugnare conatus, omnes copias quas duxit, amisit. Cælius à Cæsare desciuit, ac se Miloni exuli iunxit. Cúmq; ambo seruorum manu Capuam oppugnare molirentur, occisi sunt. Bibulus apud Corcyram pudore uictus, quòd custodiæ eius quam pelago & oppido prætendebat, hostis illuserat, inedia sese uigilijsque confecit. Appius Claudius Censorinus qui iussu Pompeij Græciam tuebatur, iam abolitam Pythici oraculi fidem uoluit experiri. Quippe ab eo adacta Vates descendere in specũ, respondisse fertur de bello consulenti: Nihil ad te hoc Romane bellum pertinet: Euboica Cœla obtinebis. Cœla autem uocant Euboicum sinum. Ita Appius perplexa sorte incertus discessit. Interea apud Dyrrachium multi Orientis reges ad Cn. Pompeium cum auxilijs uenerunt. Quò cum Cæsar uenisset, Cn. Pompeium obsidione frustra cinxit, ipse terram quindecim millium passuum fossa præstruens, cum illi paterent maria. Põpeius castellum quoddam propinquũ mari, quod Marcellinus tuebatur, euertit: præsidiáque Cæsaris quæ ibidem morabantur, occidit. Cæsar Torquatum legionémque unam ut expugnaret aggressus est. Hoc periculo sociorum Pompeius cognito, omnes copias eò traxit: & signa eo mouente, fulmina aduersa occurrerunt: apes quoque obsedere uexilla. Quo uiso subitus mœror confudit exercitum. Fugerunt hostiæ in templis: conuersa simulacra, alia fleuerunt, alia sudarunt. Tantus uerò in aere armorum strepitus fuit, ut Antiochiæ quasi

aduentu hostium in muros concurrerent. Interea Cæsar omissa obsidione ad Pompeium se conuertit. Torquatus autem e uestigio prorumpens, auersum insequutus est. Ita Cæsaris milites ancipiti periculo territi, ipso Cæsare frustra obsistente, fugerunt. Euasit tamen Cæsar, quia nocte interueniente Pompeius sequi noluit. Dixitque Cæsar, nec Pompeium scire uincere, & illa tantum die potuisse superari. Cæsáque sunt in eo prælio quatuor millia militum Cæsaris, cẽturiones uiginti duo, equites Ro. complures. Cæsus est & Scæua Cæsaris miles fortissimus. Quem cum milites Pompeij ut se traderet hortarentur, respondisse fertur, se esse fessum. accurrit unus, uelut accepturus arma: percutitur, plures simul sternuntur. ipse autem uulnera accepit capite humero, femore, oculúmque amisit. Scutum eius satis constitit cẽtum uiginti ictibus petitum fuisse. Deinde Cæsar tacito agmine per Epirum in Thessaliam perrexit.



Pompeius cum maximis copijs est sequutus. Bellúmque commissum est. Itaque instruitur utrinque acies. Pompeius octoginta & octo cohortes triplici ordine locauit. fuere autem peditum plusquam quadraginta millia: equites in sinistro cornu sexcenti, in dextro quingenti. Præterea reges multi: Senatores, Equitésque Romani plurimi, absque leuium armaturarum magna copia. Cæsar similiter octoginta cohortes triplici ordine disposuit. cui fuere minus quàm quadraginta millia peditum, equites mille. Videre ibi & gemere erat, contractas Romanorum uires in campis Pharsalicis ad occisionem mutuò constitisse, quas si concordia rexisset, nulli populi, nulli reges ferre potuissent. Prima congressione equitatus Pompeij pulsus, sinistra latera nudauit,

Deinde cum diu utrinque dubia sorte cæderētur, atque ex alia parte Pompeius diceret, Parce ciuibus, nec tamen faceret: ex alia uero Cæsar hoc faceret, quòd urgeret dicens, Miles faciem feri: tandem uniuersus Pompeij fugit exercitus, castráque eius direpta sunt. Cæsa sunt in eo prælio Pompeianorum quindecim millia, Centuriones triginta tres. Hic exitus pugnæ ad Palæopharsalum fuit. Pompeius fugiens in ostio Penei amnis onerariam nauim nactus in Asiam transijt. Inde per Cyprum Alexandriā petijt, ut à rege AEgypti, cui tutor à Senatu datus fuerat propter iuuenilem eius ætatem, acciperet auxilia: qui fortunam magis quàm amicitiam secutus, occidit Pompeium, atque caput eius & annulū Cæsari misit. Quo conspecto Cæsar etiā lachrymas fudisse dicitur, tanti uiri intuens caput, & generi quondam sui. Pompeij uxor filij'que eius fugerunt, cæteráque Pompeiana classis direpta est, omnibus qui in ea erant, crudelissimè trucidatis: ibique & Pōpeius Bithynicus occisus est. Lentulus uerò uir consularis apud Pelusiū interfectus est. Cæsar cōpositis apud Thessaliam rebus, Alexandriam uenit. Cúmque se in regiam recepisset, eludebatur à tutoribus, quo minus pecuniam acciperet, templa sua astu spoliantibus, ut & regios thesauros uacuos esse ostenderent, & in inuidiam Cæsaris populum concitarent. Præterea Achillas dux regius imbutus semel Pompeij sanguine, Cæsaris quoque necem meditabatur. Nam iussus exercitum dimittere cui præerat, uiginti millia armatorū, non modo spreuit imperium, uerūetiam aciem direxit. In ipso prælio regia classis ad terrā subducta iubetur incendi. Ea flamma cum partem quoque urbis inuasis-

set, quadraginta millia librorũ proximis fortè ædibus condita exussit: singulare profectò monumentũ studij curæque maiorũ, qui tot tantáq; illustrium ingeniorũ opera congesserant. Vnde quãlibet hodiéque in templis existant, quæ & nos uidimus armaria librorũ: quibus direptis exinanita ea à nostris hominibus nostris tẽpo ribus memorent, quod quidẽ uerũ est: tamen honestius creditur, alios libros fuisse quæsitos, qui pristinas studiorũ curas æmularẽtur, quàm aliã ullam tunc fuisse bibliothecam, quæ extra quadringẽta millia librorum fuisse, ac per hoc euasisse credatur. Postea Cæsar insulã ubi Pharus est, cepit. Eò Achillas cum Gabinianis militibus uenit. ingens pugna commissa est. Magna ibi Cæsarianorũ multitudo cecidit. Omnes etiã interfectores Põpeij interfecti sunt. Cæsar quoque ui insistentiũ hostium pressus, scapham ascendit, qua mox pondere subsequentiũ grauata ac mersa, per ducẽtos passus ad nauem una manu eleuata, qua chartas tenebat, natãdo peruenit. Mox nauali certamine pulsatus, magna felicitate classem regiam aut depressit, aut cepit. Alexandrinis petẽtibus reddidit regem, monuítq; ut amicitiã Romanã quàm arma experiri studeret. Qui tamẽ illico ut liber fuit, bellum Cæsari intulit, sed continuò cum toto exercitu suo. & ipse deletus est. Nã X X millia hominum in eo bello cæsa referuntur, duodecim millia cum septuaginta longis nauibus dedita, quingenti ex uictoribus cecidisse dicuntur. Rex ipse adolescens scapha exceptus ut fugeret, multis insilientibus mersus necatúsq; est. Corpus eius ad littus deuolutum, indicio loricæ aureæ cognitum fuit. Qua Cæsar præmissa Alexandriã, Alexandrinos omnes ad deditionẽ

desperationémque compulit, regnúmque AEgypti Cleopatræ dedit Ptolemæi sorori, cum qua stupri consuetudinem habuerat. Quæ postea regio comitatu urbem ingressa est. Inde Syriam peruagatus, Pharnacem Mithridatis Magni filium, qui Pompeio auxilio apud Thessaliam fuerat, rebellantem in Põto, & multas populi Romani prouincias occupantem uicit acie, ac postea in mortem coegit. Inde Romam regressus, tertiò se Dictatorem & Consulem fecit, cum M. AEmilio Lepido, qui & Magister equitum Dictatoris causa ante annum fuerat. Inde in Africam profectus est, ubi infinita nobilitas Romanorũ cum Iuba Mauritaniæ rege apud Tapsum bellum reparauerat. Duces autem Romani erant, P. Cornelius Scipio, ex genere antiquissimo Scipionis Africani: hic etiam socer Magni Pompeij fuerat: M. Petreius, Varro, M. Portius Cato, L. Cornelius Faustus Syllæ Dictatoris filius. Contra hos commisso bello, post multas dimicationes maxima hominum multitudo cæsa, uictor fuit Cæsar: castra utrorúmq; direpta sunt, sexaginta elephanti capti. Cato apud Vticam sese occidit: Iuba percussori iugulum præbuit, pretio dato. Petreius eodem gladio se perfodit: Scipio in naui, qua ad Hispanias fugere contendens, uento coactus in Africam redierat, semetipsum iugulauit. in eadem naui T. Torquatus occisus est. Faustum Syllæ quondam Dictatoris filium, Pompeij generum, nepotes, filiámque Pompeiam, & Afranium, & Petreium filium Cæsar præcepit occidi. Post annum inde Cæsar Romã cum quatuor triumphis ingressus. Quartò Dictator & C O S. creatus, disposito reparatóque Reip. statu, continuò in Hispaniam contra Pompeios Pompeij filios profectus, se-

ptimodecimo quàm egressus ab Vrbe fuerat die Sagun tum peruenit: statímque aduersus Pōpeios duos & Labienum atque Accium Varum multa bella uaria sorte gessit. Vltimum bellum apud Mundā gestum est: ubi tantis uiribus dimicatum est, tantáque cædes acta, ut Cæsar quoque ueteranis etiam suis cedere non erubescentibus, cum cogi cædíq; aciem suam cerneret, se uoluerit occidere ne post tantam rei militaris gloriam in potestatem adolescentiū natus annos sex & quinquaginta ueniret. Denique reparatis suis, tum uersus subito in fugam Pompeianorum fugit exercitus. Equidē eo die hoc bellum gestum est, quo Pompeius pater ab Vrbe bellum gesturus aufugerat. Quatuórq; annis hoc bellum ciuile toto orbe indesinenter intonuit. T. Labienus, & Accius Varus, in acie occisi sunt. Sextus Pompeius cum centum equitibus aufugit. Cn. Pompeius frater eius contracta celeriter non parua Lusitanorum manu, cum Cæsonio congressus & uictus, fugiénsque interfectus est. Mūda ciuitas cum immensa hominum cæde Cæsare oppugnante uix capta est. Inde Cæsar bellis ciuilibus toto orbe cōpositis Romā redijt: agere insolentius cœpit, contra consuetudinem Romanæ libertatis. Cum ergo honores ex sua uoluntate præstaret, qui à populo antea deferebantur, nec Senatui ad se uenienti assurgeret, aliáque regia ac penè tyrannica faceret, coniuratum est in eum à ducentis sexaginta uel amplius senatoribus equitibúsque Romanis. Præcipui fuerunt inter coniuratos duo Bruti, ex eo genere Bruti qui primus Romæ COS. fuerat, & reges expulerat, & C. Cassius, & Seruilius Casca. Ergo Cæsar quum inter cæteros Senatus quadam die uenisset ad Curiā,

uiginti & tribus culteris senatorijs cõfectus, uulneribúsque cõfossus interijt. Quo facto Senatores strictis pugionibus in Capitoliũ secesserunt. Diu deliberatum est, utrũ Capitoliũ cũ auctoribus cædis oporteret incendi. Corpus eius raptũ, populus dolore stimulatus in foro fragmentis tribunaliũ ac subselliorũ cremauit. Eadẽ nocte Calphurnia, uxor uidelicet eius, uidit in somnis eũ fossum uulneribus in sinu suo iacere. orauit Cæsarẽ ne eo mane abiret in Senatũ. Sed ille auspiciorũ sæpe negligens, contẽpsit somniũ, sed exitu probauit. Ante paucos dies quàm Cæsar occideretur, in Curia boue ex more mactato, cor in extis nõ est repertũ. Quod cum Spurina aruspex pronũtiasset ad uitæ periculum pertinere, ait Cæsar cõstantiæ memor, Miraris si bos nõ habeat cor? sed mox ei finis uitæ fuit. Idem Spurina ante paucos dies eidem Cæsari dixerat, cauendũ ei esse idus Martias. Quo die uiso Spurinæ ait Cæsar, Idus Martiæ uenerũt: ille respõdit, Sed nondũ transierũt. Eodẽ die Cæsar confossus est, uir quo nunquã ullus homo magis bellis enituit. Eius siquidẽ ductu, undecies centum nonaginta & duo millia hostiũ cæsa sunt. Nã quantũ bellis ciuilibus fuderit, noluit annotare. Signis collatis quinquagies dimicauit, M. Marcellũ solus supergressus, qui triginta nouẽ uicibus pari modo fuerat præliatus. Ad hoc nullus celerius scripsit, nemo uelocius legit. quaternas etiã epistolas simul dictauit. Tantæ fuit bonitatis, ut quos armis subegerat, magis clementia uicerit. Eodẽ tempore Romæ tres simul exorti soles, paulatim in eundẽ orbẽ coierunt. Inter cætera portẽta, quæ toto orbe facta sunt, bos in suburbano Romæ ad arãtem loquutus est, frustra se urgeri: nõ enim frumenta, sed homines defuturos.

D N. Guidoni ac Prospero generosis Baronibus à Gebennis Henricus Glareanus S. D. P.

VIX alius est auctor, Dn. Guido ac Prosper generosi Barones, in quem annotationes scribere minus conueniebat, atque in hunc C. Cæsarẽ, quòd nullus alius in Latina lingua auctor sit purior ac tersior, tribus eloquẽtissimis, clarissimisque uiris, qui partim huic hostes, partim amici summi fuere, imò plures eodem cum eo uixere tempore. Atqui hoc nobis actum est, ut intelligant lectores annotationes non in auctorum calumniam, ut quidam falsò opinantur, scribi, sed maxima ex parte in ipsorum defensionem, quorũm libri temporũ iniuria corrupti ab erroribus uindicãtur. In Cæsare nemo, ut in Liuio, Geographica culpare potest. Nam ea in re mire cautus fuit Cæsar: nemo fabulas, quippe cuius historiæ ueritatem ne minutissimi quidem aut reprehendere, aut culpare potuere: nemo Patauinitatem, aut Hispanitatem, cum nihil illo Latinius auctore, nihil mũdius, nihil quod minus exteram, ac à Romano eloquio alienam sapiat phrasim. Quid ergo in eo, inquiet aliquis, annotatione dignum? Nihil sanè, quàm quòd librariorum culpa deprauatum, ac expositione in priscorum Galliæ populorum appellatione erratum, id potissimum hic emendandum suscepimus. Res est in locorũ descriptionibus, populorúmque nomenclatura, nonnihil etiam in numeris, quæ haud facile expediet, cui Gallia & Germania, duæ nationes, & earũ ipsarum linguæ nõ optime notæ. Mihi quidem homini in Gallia nato, quanquam magna ex parte, at ut totam tamen Galliam uiderem nõ contigit:

Heluetios autem, antiquam Galliæ & libertatem, & maiestatem, & linguam priscam Celtarum etiamnum obtinentes, ut prorsus uiderem, ubique licuit: Germaniã bona ex parte, non uidi tantum, sed linguam etiam eorum non multum à ueteri Celtarum distantem, didici, ita ut de plerisque locis certius definire non fuerit mihi difficile. Fuit ante ætatem nostram Raymundus Marlianus, uir quidem diligens, & cui studiosi omnes ob laborem quem in hunc suscepit auctorem gratiam debent haud mediocrẽ. De quo, ut inficias ire non possumus pluribus illum errasse locis, ita fateri necessum habemus, multis eximijs uiris altiora cogitandi dedisse eum occasionem, ac multo maximam meliora inueniẽdi ansam. Quod potuit, fecit, ea sanè ætate qua literæ bonæ nondum in hoc culminis ac dignitatis peruenerant. Erant item ante annos aliquot, ut hodie quoque, qui simili nominum tinnitu sæpe allucinabãtur, quemadmodum AEneas Siluius Elsatiam credidit Heluetiam. Ita quidam alij Arolam Heluetiorum flumen Ararim: Bacenin siluam, eam, quæ hodie corruptè Nigra dicitur. Et in remotioribus, Cimbros, Flandros, Danos, Dacos, cum res longè aliter habeat. Idem erroris accidit in nomine Gebenna, cum mõtis nomen sit, qui Aruernos ab Heluijs discludit, ut Cæsar inquit libro septimo. Hodie tamen quidam Genabum ad Ligerim fluuium, Aureliam nunc nominatam: quidam Geneuam ad lacum Lemanum, unde & gẽtilitiæ uestræ nomen adhuc uiget, nominare Gebennas non uerentur: quem publicum errorem facilius admiretur quispiam, quàm corrigat, adeò semel recepta uulgò difficulter abolentur. In primis itaque cauendum est nobis, ne tinni-

tus ille nos quoque decipiat: neque enim satis est ὁμοιοτέλευτα esse nomina: sed necesse ut locus, ut tempora, ut descriptio quadret. Si AEneas Syluius tres à Cæsare descriptos Heluetiorum limites attendisset, facile uidere poterat, nullo pacto Elsatiam dici potuisse Heluetiã. In aliquibus tamen, cum locus, descriptio, atque alia desunt, multum similiter desinentia adiuuant, maximè in proprijs hominum, quantum ad linguam attinet. quod nos in his nostris Annotationibus sæpius sumus secuti. Vobis autem hũc dedicare laborem utile operæpretium existimaui, quòd parente sitis nati, qui opera & principis, & bellatoris simul exhibere potest: quod multis asperis in rebus turbulentissimo hoc seculo osten dit. Honorificum hoc quidem, & omnibus laudandũ seculis, sed nobis parum profuturum, ni & uigilans æmulatio, & uestræ uirtutis decora accesserint. Nam splendidum te, si tuam non habes, aliena claritudo nõ efficit, inquit Boethius. Id quod equidem uos facturos haud dubito. Id enim specimen dedistis nobis sub præceptore Nicolao Glareio eximiæ eruditionis uiro, ac nobis charo, ut parens uester eam de uobis sibi spem uere concipere queat, ut aliquando in uobis sibi renatus uideatur. Quod ut fiat secundum uota nostra, CHRISTVM Optimum Maximum precamur. Valete, & me uicissim amate. Friburgi Brisgoiæ, Anno à natali Dominico M. D. XXXVIII. Calendis Aprilibus.

IN C. CAESARIS COMMENtariorum de bello Gallico libros Henrici Glareani Heluetij Annotationes.

IN LIBRVM I.

COMMENTARII sunt libri, in quibus tantũ capita rerũ posita sunt, ita ut uideamur in ijs ad exequendã historiã alijs subiecisse materiã. Quàm male uerò Cæsar alijs materiam exequendæ historiæ subiecerit, planè A. Hircius conqueritur præfatione illa, quæ est in octauum librũ derelictorũ de bello Gallico. ait enim: Adeóque probãtur omniũ iudicio, ut prærepta, nõ præbita facultas scriptoribus uideatur. Porrò cùm Liuius sit copiosissimus, Sallustius breuissimus, Cæsar, ut cõmentatorẽ decuit, mediocris est, planus, tersus, simplex, miniméque affectatus, qualem stylũ propemodum habuisse apud Græcos Aristotelẽ uidemus. Scripsit enim hos libros in castris & succisiuis quidẽ horis, quibus hercle uel ob hoc maior fides debetur, quòd rebus gestis ipse, qui scripsit, interfuit. Quàm uerò reliquos auctores in locis perscribendis diligentia ac cura uicerit, facile uidere poterit, quicũque, uel apud Geographos aliquid laboris insumpserit, uel qui Galliã ipsam uiderit. Cæterũ ita res suas uerè laudauit, ut hostes quoque eius, inter quos erat & Cicero, uerissimos hos commentarios dicerent, auctoribus & ipso Cicerone, & Suetonio. Cautior etiam in hoc, ꝙ hostes laudarit, quò maior ipsius gloria esset, qui eos uicerit. Prudẽtissimè uerò, cùm bellum Gallicum omniũ laboriosissimum describere uellet, Galliæ diui-

sionem ac luculentam eius designationem præponit.

Gallia est omnis diuisa in partes tres.

In hoc primo libro tria peragit Cæsar: primo Galliæ Transalpinæ descriptionem ponit. Secundo Heluetiorum bellũ prosequitur. Tertio Germanicum aduersus Ariouistũ Germanorũ regem. Gallia generali diuisione duplex est, Cisalpina, & Trãsalpina ob situm Alpiũ Romanis ita uocãtibus. Cisalpina (olim etiã Togata) est, quæ hodie Lombardia dicitur: extenditur autem ab Alpibus ad Rubiconem usque flumen, quod prope Rauennam in mare Hadriaticum decurrit, comprehendítque Venetos, Mediolanenses, & quicquid ad Padum amnem est. Hæc natio olim pertinacissime Romanis obstitit plus quingẽtis annis. Originẽ autẽ habẽt plurimi eius populi ex nostra Gallia, ut testãtur ubiq; Classici scriptores, nominatim Liuius lib. 5. ab Vrbe cõd. & Strabo lib. IIII. Liuius enim hos cõmemorat, Bituriges, Aruernos, Sequanos, Heduos, Ambarros, Carnutes, Aulercos, Cænomanos, Salluuios, Boios, Lingones, ac Senones: Strabo uerò Venetos, Boios ac eosdem Senones: alij itẽ alios. Huius Galliæ Prætor fuit Cæsar ut citerioris prouinciæ. De ea pauca hic. Altera Gallia Trãsalpina, Brachata alio nomine & Comata, est, cuius partẽ Romani quoq; habebãt, & in Prætura Cæsaris erat. Eius Cæsar hic tres indicat partes, Aquitanicã, Belgicam, ac Celticã, quæ haud dubie fuit antiqua Galliæ diuisio. Nã posteriores omnes Geographi quatuor eius fecerunt regiones, Narbonensem, Aquitanicã, Lugdunẽsem, & Belgicam. Strabo lib. IIII ait Celticam Augustum diuisisse in Lugdunẽsem, & Narbonensem, adiectis ad Aquitaniã populis, qui inter Garumnam &

Ligerim amnes antea Celtarum erant. Quod Ptolemæus, Plinius, Pomp. Mela, ac alij imitati sunt. Nō igitur cum Ptolemæo pugnat Cæsar, sed temporum ratio utrinque habita est. Porrò Celtarum nomen tam latè patebat, ut non modo Galliam omnem, sed uniuersum Occidentem occupasse affirmet Strabo, à quibus Celtiberi Hispani, & Galatæ populi ad pontum Euxinū, ad quos diuus Paulus scripsit, originem referunt.

Hi omnes lingua, institutis.

Lingua Gallorum multis de causis creditur ea esse qua hodie Rhenus utitur, maximéque Heluetij, & Sequani Rhenani. Primum enim constat C. Cæsarē bello Gallico per interpretem locutum cum Gallis. Deinde eam quidem linguam, qua hodie Francia utitur, Romanam esse, quanquam corruptam, nemini est dubiū; quippe adhuc de prisca lingua Gallica innumeras retinentem dictiones. Non igitur Francica lingua olim Galli locuti sunt, sed alia. Verisimillimum autem est ea locutos lingua, qua adhuc ij Galli utuntur, qui Franciè non loquūtur, ut omnes populi citra Rhenum, proximi tamen Rheno, Heluetij, Rauraci, Sequani, Elsatici Tribocci, Vangiones, & ferè tota Belgica. Nec mirum hoc uideri potest ei, qui considerat populū Rom. suos exercitus frequenter in Gallia habuisse, atque adeò in Galliæ fœcundiore parte, diutiúsque pressam, quam nunc Franci inhabitant Galliæ partem, seruitute Romanorum: Rhenus quippe & Germania citius à Romanis, quàm Gallia alia, defecerunt. Ideóque factum est, ut Romani non potuerint suam in Germania, ac regionibus Rheni ita celebrem facere, ac uelut propagare linguā, ut in reliqua Gallia, Hispania, & Italia

fecerunt.Neque *nihil ad rem facit quòd* Prætores Ro*mani ius non dabant, nisi sua lingua, & miles* Ro*manus ægre cum plebe, alia quàm sua lingua, loquebatur.* Itaque *coacta est misera plebs* Romanam *discere linguam, sed male, sed mutilate, sed ita ut in ea ubique priscæ linguæ uestigia inuenias,* Latinæ *uerò sonum in thematis audias, imò priscæ accentus aliquot, uocalationem, pronuntiationem, præteritorum perfectorũ per* Habui *periphrasels: articulos item quos* La*tina lingua non habet.* Denique *plurima nominũ themata, qualia sunt* Ignis, Puluinar, Pastillus, Scamnum, Cancer, Caper, Campana, Mamilla, Vexillum, Calcar, Diues, Thorax, Manipulus. Et *uerborum, ut* Dimitto, Frico, Occido. Sed *plane ineptus uidear, si ea omnia persequi uelim, quæ iustum requirerẽt uolumen.* Cũ *ante annos aliquot* Lutetiæ *degerẽ, erat in sodalitio nostro* Iaspar Alphæus Syluanus, *egregij iudicij, ac eruditionis non proletariæ uir, qui in chartula propemodum ducenta uocabula ab se notata mihi monstrabat, priscæ nostræ linguæ, quæ* Parisiẽses *etiámnum hodie in mutila ista lingua haberent.* Vnde *satis liquet* Hel*uetiorum linguam ac* Rheni *uerè* Gallicam, *nisi quãtum* Germani *quædam miscuerunt, maximè infra* Ar*gentinam:* Spiræ *enim,* Vormatiæ, Moguntiæ, *ac in circumiacentibus ea* Rheni *parte populis mixtus est sermo ex* Germanica *ac* Celtica *linguis. neque enim purè* Germanice, *neque purè* Celtice *loquuntur.* Heluetij *autem,* Rauraci, Sequani Rheno *proximi,* Brisgoenses, *ac* Elsatici *magna ex parte merè* Celtice *loquuntur.* Non *mirum igitur quòd scriptum reliquerit diuus* Hiero*nymus,* Galatas, *ad quos scripsit diuus* Paulus, *quíque*

à Celtis *deſcenderunt, ut auctor eſt* Liuius *lib.* VIII *quartæ* Decados,*eadē locutos ſuo tempore lingua, qua* Treuiri *utebantur. Quis autem neſcit* Treuirorū *linguā antiquam eſſe, nec multo à* Germanorum *lingua diuerſam?* Et *ſi concedi oportet, quod* Strabo *ait lib.* VII, *Germaniæ uocabulum* Romanorum *eſſe, quam aliam cauſam fuiſſe credimus* Romanis,*quòd eos* Germanos *appellarint,quàm quòd uel lingua & moribus magnam cum* Gallis *haberent communionem,uel,quod quidam nō abſurde argumentantur,ab ipſa inter ipſos appellatione? fratres enim ſeſe etiamnum hac tempeſtate in rebus ſerijs ac bellis uocāt.*Id Romani *ſiue per ſe de* Germanis *reſciuerint,ſiue à* Gallis *didicerint,parum conſtat, neque huius eſt negotij.* Nos *enim hîc de* Gallorum *linguis tractamus,inter quas,ut* Cæſar *ait, differentia aliqua fuit, ut etiamnum hodie eſt.* Nihil *tamen impedit quin communi appellatione eadem ac una nominetur, quanquam non uſquequaque eadem, ſed paululum uariata.* Id *quod in* Græca *quoque lingua accidit.* Porro *id non eſt paruū argumentum* Heluetiorum *linguam uere eſſe* Galli*cam,quòd* Latini *auctores multa* Gallicæ *linguæ uocabula recenſent, quæ etiamnum in* Heluetiorum *ſunt lingua, quanquam à* Romanis *ſcriptoribus partim male ſcripta,partim male percepta,utpote quæ,quòd barbara, non magnopere curarent,ac obiter duntaxat in operibus recenſerent.* Q*uæ tamen ipſa nobis argumento ſunt,*Galli*cam linguam in aliqua apud eos fuiſſe exiſtimatione.* Itaque Cæſar Gallorum *propria, & maxime* Heluetiorū *nomina mire torſit,omiſſis ſæpe ac mutatis literis aliquot, ut* Latinæ *declinationi apta fierent, de quibus paulo*

pòst dicturi sumus. Idem Plinius fecit. Ea tamen uerba temporum iniuria adhuc magis deprauata apud eum leguntur, nemine de ea lingua ab mille annis curante. Ita libro XVIII, cap. XVIII, Aratra rotulis instructa, Gallicum inuentum Pfluogradt rectè nominauit: ubi tamen codices Plummarat, alij Planarat habent. Quidam in Planetas, ut se prorsus ineptos ostenderent, mutarunt. Apud eundem lib. IIII. cap. XVI, Bodincum Padum Gallica lingua à Liguribus dictum ait, quòd significet fundo carentem. & Bodincomagum oppidum eodem tractu esse. Heluetiorum lingua uocat Bodẽmangel. Padum item à Picea arbore, quam Galli ita uocent, nominatum, Paech uult dicere, quod adhuc manet in nostra lingua. Ita apud Suetonium in Galba, præpinguis Gallicè Galb intelligitur: sed uitulus potius. Nam ita præpinguem ac obesum hominem per iocum uitulum uocamus. Et Becco Rostrum apud eũdem in Vitellio, adhuc habent Belgæ nostra ætate in sua lingua. Heluetij uerbũ inde Beclem, id est, Rostro ferire. Multa his similia enumerat D. AEgidius Tschudus V.C. apud Heluetios, mihi non affinitate tantum iunctus, sed eodem etiam studiorum amore, in libro de Rhætiæ antiquitate, & tractu Alpinarum gentium. Vbi Strabonis, Plinij, Liuij, aliorúmque classicorũ scriptorum locos plurimos dignissime tractat. Quẽ in his annotationibus sæpe in testimonium adducemus, neque id immerito: uisa enim tractat, & summo iudicio librata, maximóque labore inuenta, quæ ab mille annis neminem tractasse nouimus. Accedit huc, quòd Plinius ait Gallos Medullam Margam uocare, & Germanos Anserẽ Ganzam, quæ duo uocabula adhuc ma-

nent in utraque lingua. Francorum *autem hodierna lingua ex duabus linguis est, ex prisca* Celtica, *&* Romana. In *qua* Romana *tamen, quod ad themata attinet, dominatur.*

Propterea, *quòd à cultu atque humanitate prouinciæ, &c.*

Festus *ait* Prouincias *dictas, quòd populus* Ro. *eas prouicerit, id est, antè uicerit.* Alij *à porrò uincendo dictas uolunt. Cæterum ex regno fit prouincia, cum è regia manu in potestatẽ alicuius populi deuenit.* Verũ *hoc loco ea est* Narbonensis Galliæ *portio, quæ mari* Ligustico, Alpibus, *& magna ex parte* Rhodano *concluditur.*

Quæ ad effœminãdos animos pertinent, &c.

Meræs *intelligit, & rerũ omnium, quæ ad luxum faciunt, copiam: maxime uerò, sicut ipse postea, ubi de* Neruijs, Cæsar *fatetur, uinum.* Hodie *etiam aromata, & species, ut uocant, ad idem pertinent.*

Id *hoc facilius eis persuasit, &c.*

Non *poterat* Cæsar *luculẽtius, uerius que describere* Heluetiorum *regionem, quàm tribus hisce liminibus,* Rheno, Rhodano, *&* Iura *mõte.* Vt *merito pudeat quosdam sui erroris, qui ausi fuerint* Elsatiam *dicere* Heluetiam: *qua in re etiã* AEneas Syluius *aberrat.* Quòd *autem undique* Heluetiorum *natio sit tuta, ut* Cæsar *existimat, hoc quidem uerum à duabus partibus ad* Meridiem *&* Occasum *: cæterum aduersus* Germanos *atque* Rhætos, *hoc est, ad* Ortum *&* Septentrionem, *nõ ita uerum est. neque enim* Rhenus *tantus limes est, ut tutam defensionem præbeat, quando supra lacum* Cõstantiensem *plerisque in locis uado transitur.*

Altera ex parte monte Iura altissimo.

Mõs Iura hodie multa habet nomina. Incipit autem infra Brugas *oppidulum ad* Arolã *flumen in* Heluetijs, *ubi* Boetzberg *dicitur. Deinde recta ad Occasum secundum* Arolam *ad* Salodorum *progreditur, ibi* Hodie Houuuenstein *dicitur. Deinde ad* Bipennes *oppidũ ad* Neacrm, *uulgo* Nouum *castrum. Deinde inter Occasum & Meridiem deflectit* Geneuam *usque, ac ultro etiam in* Sebusianos, *hodie* Bellidẽses. *Cæterum in dicto iam tractu pluribus locis transitur.*

Qui in longitudinem.

Est autem longitudo Heluetiæ *à* Geneua Constantiam *usq;, iter sex dierum plus minus, si* X L *millia in unius diei iter conferemus. Latitudo autẽ ab* Iura *monte ad montẽ usque* Gotthardi, *iter triũ dierũ, quẽ* Cæsar *aliquanto maiorem facit. Sed ea auditu habet nõ usu.*

In eo itinere persuadet Castico.

Non est dubium omnia nomina Gallica, *quæ hîc* Cæsar *in* x, *terminat, apud* Heluetios *in* χ *literam* Græcam *scripta fuisse. Vtebantur enim literis* Græcis, *quibus linguã suam* Gallicam, *non autem* Græcam *scribebant. Et potest etiámnum lingua* Heluetiorum *optime* Græcis *scribi literis, quod multi sæpe fecerunt. Itaque cum lingua* Latina *nullum nomen in ch habet, & omnino* Cæsari *ea nomina in formam* Latinam *reducenda erant, aliquando deflexit ad* x *literam proximam figura ad* χ, *ut tertiæ declinationi apta fierẽt, aliquando ad* c, *uel* g, *ut in secundam declinationem uenirent. Inuenerat ea in* Heluetiorũ *tabulis* Græcis *exarata literis, ubi* χ *litera,* Latinæ x, *non est absimilis. Quod* Christianus *usus obtinuit in* χριςός. *Itaque ex*

ὄργεντοριξ fecit Orgentorix. ex Κάστριξ, Castigus, omissa r litera, ut nos nunc ex Φρίδριξ fecimus Fœdericus. Rursus ex Φεργώβρετ fecit Cæsar Vergobretum, abiecta σ, ad s. Ex ἄμβριξ Ambiorix. Ex Κάλτμαντελ Catamanteles. Ex θούμριξ Dumnorix. Ex Λύτιγριξ Litauicum. Denique ex Germanico Ernst Ernestum: quod nomen postea correptum est in Arionistum, ac rursus deinde in Ariouistum. Nec hoc mirum uideri potest, cum Græci subtilissimi homines, Hebraica & Barbara ad eundem modum corruperint, si Romani Gallorum quoque linguam male tractarint: id quod semel nos admonuisse sat fuerit. In Plinio quoque idem accidit, ut de Bodomancis & Planaratis, pro Bodenmangel & Pfluogradt, paulo ante diximus.

Die constituta causæ.

Causam dicere est, quod Græci tum, ἐρίνεσθαι, tum ἐυθύνεσθαι dicu͂t, hoc est, iudicium subire, & culpas fraudésque iudiciorum suoru͂ actorúmque præstare. docuit hoc Budæus.

Oppida sua omnia numero ad duodecim.

Hic locus satis probat per pagum non oportere intelligere uicum, ut quidam ineruditè exposuerunt, & ex sequentibus latius patet. Cæterum cum hodie tota Heluetiorum Democratia siue regio in XIII ciuitates sit diuisa (Vulgus Angulos uocat, Franci Cantones) quaru͂ nomina, ut publicè in concilijs sedent, hæc sunt, Tiguru͂, Berna, Luceria, Vria, Suizia, Syluania, Tugiu͂, Clarona, Basilea, Friburgum, Salodorum, Schafhusia ac Abbatiszella, undecim tamen duntaxat intra ueros regionis Heluetiæ limites concluduntur. Basilea enim non in Heluetijs, sed in Sequanis iacet. Schafhusia in

Germania.Porro ex his XIII, *Vria, Suizia, Syluania,Clarona,ac Abbatiſzella,non ſunt oppida,ſed uicorum conuentus,æquata omnium libertate,& ab his, maxime Vris,Suizis,ac Syluanis, Heluetiorum noſtra ætate libertas eſt orta.Ipſi tamen multis oppidis ac arcibus imperant, contrario atque in aliis regionibus, more.Rurſus ex his* XIII *quinque noſtra ætate,cum totus Rhenus fere, ac uniuerſa Germania ſchiſmatis plena eſſet, inconcuſſam maiorum ſuorum religionem ſeruarunt,ac armis fortiter,nec ſine ſanguine,nec ſine Dei Optimi Maximi auxilio defenderunt. Qui mihi in hoc qualicunque commentario digni uiſi ſunt,ut honoris cauſa nominentur. Fuere igitur,* LVCERIA, VRIA, SVIZIA, SYLVANIA, TVGIVM. *Sed omnino apud auctores loca uetuſta in Heluetiis ſunt Auenticum,nunc paruum oppidulum prope Friburgum, ubi multæ antiquitates adhuc uiſuntur.Vindoniſſa ſupra Confluentem Vrſæ ac Arolæ, ciuitas equeſtris,Gannodurũ,nunc Conſtantia,Vitodurum,nũc VVinterthur.Forum Tiberii,quod multi Zurzachium exiſtimant, quidam Cæſaris ſedem, oppidum epiſcopi Conſtantienſis, utrunque enim peruetuſtum creditur. Multis præterea indiciis,quæ Commentarii huius anguſtia & ſolita noſtra breuitas enarrare non permittit,uetuſta creduntur loca,Tigurum, Luceria,Tugium, Salodorũ,Aquæ,Orba.Coniuncta etiam Zouingen & Berona. Berna autem & Friburgum noua ſunt oppida intra quadringentos annos ædificata.*

Molita cibaria.

Participium à molo,is,ere,in Supino molitum.unde

Participium molitus,a,um: atque etiam is modus etiã- num Heluetijs manet. Farina enim ex auena densa,butyro ac sale condita in magno aheno super ignem cocta, in uasis ponitur,ac cum reliquo commeatu in bellum ducitur,nec ad pulmentarium coquendum quicquam additur, quàm aqua calfacta esuribundis militibus dulce condimentum.

Persuadent Rauracis.

Rauracos supra Basileam habuisse sedes,atque Augustam urbem maximam,cuius etiã hodie uestigia sunt, pertigisséque eorum imperium rectà secundum Rhenum,usque ad Confluentem Rheni ac Arolæ, ditionis hodie Heluetica,satis consonum ueritati est. Quatuor igitur Rheni oppida supra Basileam,I,VValtzhuot,id est,siluæ custodia: I I,Lauffenberg à minore Rheni cataracte nomen habens: I I,Seckingen à Sequanis dictum: I I I I,Rinfelden elegans oppidum, & quicquid ditionis circum ea est Iuram usque, totum olim Rauracorum imperio suberat. Quidam aiunt Sequanos & Rauracos separatos flumine Byrsa, quod paululũ supra Basileam Rhenum influit.

Et Tulingis & Lacobrigis.

Tulingos & Lacobrigos, qui Lotharingiæ partem putant, prorsus falluntur. Sed & qui Tigurinos aut Lausanenses,magis decipiuntur. Qui uero Germanos fuisse existimant supra Rauracos, Heluetijs ad Septentrionem, hi demum recte iudicant. Hodie nomen retinent Germanicum Stuelingenn,quod nomen Cæsar,ut cætera, ob Latinam inflectionem corrupit. Admonuit nos eius rei D.AEgidius Tschudus. Adiuuant hãc opinionẽ,quod postea uicti Heluetij & Tulingi & Laco-

brigi, iussi sunt redire in suos fines, unde profecti erãt. Lacobrigi *autem legendũ per c. hodie das* Claeclzy, *adiecta c litera, consuetudine* Celticæ *linguæ, ante l.*

Boiósque.

De Boijs *non parum admirationis præbet id lectori, quòd tam uarias apud auctores dicantur habuisse sedes, ut non facile expedias, qui hodie uerè sint dicendi* Boij. Primùm *certè uidentur* Germani *esse, deinde ex* Germania *olim in* Noricum *transcendisse,* Danubij *loca occupasse,* Italiam *quoque petijsse, atque aliquot seculis ante* Cæsarem *circa* Padũ *consedisse, ut* Liuius *lib* V. *ab* Vrbe *condita testatur, & lib. primo de secundo bello* Punico. *Denique multis locis quartæ* Decadis, *quemadmodũ in quintum ab* Vrbe *cõdita librũ, in annotationibus nostris in* Liuium *diximus.* Multi *eximij uiri* Bohemos *antiquam sedem* Boiorum *crediderunt, &* Bauaros *ab illis descendisse: similiter in* Frãcia Borbonios.

Et in agrum Noricum.

Legendũ puto, Et *in agrum* Noricum *transierant,* Noricúmque *oppugnarãt, ut priore loco sit adiectiuum, posteriore substantiuum.* Nam Noricum *natio est inter* Pannones *&* Vindelicos *ad* Danubium *sita.*

Erant omnino itinera duo.

Cæsar *cum duo itinera describeret, ea tantum existimauit, quæ proxima ipsius prouinciæ erant, & commoda* Heluetijs *in* Santones *proficiscentibus: alioqui multa præterea ex* Heluetijs *erant itinera in* Celtas, *maxime in* Rauracos *&* Sequanos. Atqui *uel ex hoc loco sanè constat* Cæsari Heluetiorum *regionem ex relatione tantum notam fuisse, cæterùm non uisam.* Notã-

dum hoc item loco Sequanorum *longitudinem esse ab* Rheno *usque ad* Rhodanum,*latitudinem uerò ab* Iura *ad* Lingonas.

Rhodanus *fluit.*

Nota *terminos inter* Heluetios *&* Allobrogas. Ex *quibus colligitur* Heluetiorum *olim fuisse quicquid intra* Friburgum *nobile* Heluetiorum *oppidum,&* Ge*nĕuam terræ interiacet.*

Proximúmque Heluetiorum *finibus* Genĕua.

Quatuor *hæc nomina* Genua,Genĕua,Genabum, *&* Gebenna,*multum obscuritatis lectori ingerunt, ac non attentum sæpe fefellerunt, quæ ipsa longe diuersa sunt.* Genua *enim* Ligurũ *caput in* Italia *ad mare est nostrum:*Genĕua *uero* Allobrogum *ad hostia* Lemani *lacus, ubi* Rhodanus *exit:* Genabum,Carnutum *oppidum ad* Ligerim *amnem.hodie,ut quidam putant,*Aurelia: *Denique* Gebenna *mons qui* Heluios *ab* Aruer*nis separat,ut lib.*VII *postea dicet* Cæsar.*Cæterum ab annis,ut puto,octingentis literarum ac soni similitudine* Genĕua *ab indocto tunc seculo* Gebennæ *nomen inuenit plurativo numero.* Vnde *generosis dominis* Baronibus *à* Gebennis *nomen manet.* Quidã *ita etiam* Aureliam *ineptè* Gebennam *nominarunt, pro* Genabum: *&* Gebennense *studium pro* Genabense. I*neptiores autem hi, qui* Genuam Ligurum *caput* Ianuam *nominari putant,quasi* Italiæ,*& maxime* Liguriæ *ianua,quia maris portus esset, & fortassis,ut ab alijs eo distinctius nomen esset.*

L.Pisone,Aulo Gabinio.

Hic *annus est ab* Vrbe *condita* DCXCVI:*atque primus annus huius belli* Gallici,*quo* Galliæ *utriusque*

citerioris ac ulterioris Prætor *est factus* Cæsar. Ante CHRISTI *natale* LV.

L.Cassium COS.*occisum.*

Vide Florū *in* Epitome,*libro sexagesimoquinto.* Nā Tigurini *illi fuerunt ex* Heluetijs. *Cæterum* Cassius *Consul fuit,anno ab* Vrbe *condita* DCXLVII.

Qui in flumen Rhodanum.

Fortassis *legendum est,*Quem *flumen* Rhodanū *influit.* Quanquam *lib.7.de palude in* Sequanam,*simi lis habetur locutio.*Lector *ipse dispiciat.*Porrò *hoc quoque considerandum, an non idem sit,à lacu* Lemano *ad montem* Iurā,*quod hoc loco ait: & à* Iura *ad flumen* Rhodanū,*quod antè dixerat,cū tamen duo diuer sa itinera describere uelit: certe ego me hîc nō explico.*

Cæsari *renuntiatur.*

Ptolemæus Sentones *inter* Garumnam & Ligerim *amnes ad mare occiduum constituit.*Sanè *autem suspe ctum est in tam longinquā regionem proficisci conatos* Heluetios.Quanquā *cum alia in hac historia* Hel uetiorum *acta audaciæ specimen habeāt, hoc quoque sic intelligi potest.*

Ibi Centrones & Garoceli.

Centrones & Caturiges *in* Graijs Alpibus Ptolemæus *non longe à* Lepontinis *ponit.*Ocelū *autem oppidum est ad* Duriam *minorem amnem,longe ab* Oscela,*quod* Lepontiorum *oppidum* Ptolemæus *tradit,hodiéque in ea ualle, quam flumen* Tosa *à summis* Alpibus *ut* Ticinus *ortum, perluit, infima parte iacens,ab* Dominico *ibi,hoc est,* Canonicorum *collegio hodie nomen* Dum doscela *habens, &* Vallis *de* oscela, *quod nos fecimus* Eschentall.In Ptolemæo *igitur id er-*

roris est, quòd Centrones uicinos facit Lepontijs. Cum hoc certum constet inter Centrones ac Lepōtios interiacēre medios Salassios, qui Salassij Augustam Prætoriam, celebrem apud scriptores urbem, inhabitabant: & ipsa urbs hodie nomen habet, & uallis ab ea Augstal. Garocelorum non meminit Ptolemæus: sunt autem populi Alpini prope Centrones. Vocontij uerò inter Isaram & Rhodanum Allobrogibus ad Orientem uicini ab eodem describuntur, quæ cum descriptione Cæsaris optime conueniunt.

In Sebusianos.

Sebusiani inter Rhodanum & Ararim sunt, hodie Bellidēses, ut rectè Marlianus descripsit: à quibus hodie Sabaudiæ nomen manet. nec enim alia apud auctores ueteres origo eius nominis inuenitur. Ptolemæus Sebusianorum meminit in Lugdunensi Gallia, sed nimus occidentales facit. Sunt etiam Segusiani, siue Sebusiani in Graijs Alpibus apud Ptolemæū, si nomina nō sunt corrupta. Sedusij uerò, Germaniæ populus est.

Eorúmque agros depopulabantur.

Et hoc suspectum uideri potest, cum Dumnorix Heduus esset, & apud eos potens, qui Heluetios iuuerat per Sequanos.

In Heduorum.

Hedui, inter Dubidem & Ararim possessionem habuerunt, ait Strabo libro IIII. Ciuitas erat potentissima in Gallia, & Romanis semper amica, hodie Autun nominant.

Itē Allobroges, qui trans Rhodanum uicos.

Nō est hoc aduersum illi, quod paulò antè dixit, Rhodanum inter Allobrogas ac Heluetios limitē esse. hic

enim de Allobrogum terra loquitur, quæ in Heduos tẽdebatur inter Occidentem ac Septentrionem, non quæ Heluetios contingit inter Septentrionem ac Ortum.

Flumen est Arar.

Arar est fluuius Celtarum, de quo recte Marlianus. hoc autem admonendus est lector, illum non ex Alpibus oriri, nec primo quidem cursu, quod tamen tradidit Ptolemæus, ad Septentrionem, sed ad Meridiem labi, nec cum Rhodano linea parallela incedere. Denique nec eum esse Arolam, qui per Heluetios lapsus, hodie Ar, uulgo dicitur.

Hic pagus unus.

Græci παγὴν fontem dicunt, καὶ δωρικῶς παγὰν: inde Latinis dictus pagus, cuiusque fluuij tractus, & utrinque secundum flumen habitationes. Tales porrò nauigabiles etiámnum hodie sunt intra Iuram, Rhodanum & Rhenum, ueros Heluetiæ terræ limites, prorsus in Heluetijs quatuor, Vr, Limagus, Vrsa, & Arola. Vr genere fœminino, opinione quorundam non temere coniectantium, Celticè dicitur Die Vr: postea facta elisione diphthongi Celticæ ie, D'ur, quemadmodum Arolam Die Ar, & elisa diphthongo ie, de articulo die, D'ar. Item Die Etsch. Vr autem productè dicitur, quam longam literam cum Germanica lingua non habeat sicut nec Græca, Dur uerterunt in Daur. Vnde Romani, qui nobis omnia antiqua corruperunt nomina, Taurum uocarunt. At Heluetiorum lingua Dur pronuntiat, & regionem adiacentem Durgeuuu. Fluuius in immensum crescere solet, torrentis in morem, sed nauibus non admodum aptus. Limagus apud Claronenses oritur, ac in media ipsorum regione

Serniphium alterum ex altera ualle delapsum amnem accipit. deinde infra Vrnas*(duorum uicorum nomen est) supra* Lateritium *pontem (ita uocant) ex lacu* Vesenio *accepta aqua,* Marcham*(qui fuit olim* Heluetiorum *in* Rhætos *finis,& Heluetij ita terminum uocant) ac* Castra Rhætorū *(& huic loco etiamnum nomen manet* Gastra*) disterminat. Hinc lacum* Tigurinum *ingressus, ad hostia eius* Tigurum *amplissimam* Heluetiorum *urbem diuidit,mox* Aquas*, memorabilem in* Heluetijs *locum, propter calidas illic aquas,* Græci Thermas *uocant, delabitur.* Harum *aquarum situm non omnino absurde descripsit* Poggius Florentinus,*si Latine nominare potuisset.*Deinde *haud ita longe* Vrsæ *ac* Arolæ *miscetur.* Vrsa *sanè, quem fluuium transpositis duabus prioribus literis uulgo* Rusam *uocant,in summis* Alpibus, *quibus hodie* Sancti Gotthardi *nomen est,oritur,ac rectà ad* Septentrionem *labitur, cum contrà* Ticinus *ex eodem iugo per* Lepontios *in* Meridiem. Vrsulam *siue* Vrsellam *primum uallem* Rhæticam, *deinde* Vriam Tauriscorum,*gentis* Gallicæ *reliquias, uenit, ubi lacui miscetur, qui* Vros, Suitzos, Syluanos *ac* Lucerinos, *quatuor* Syluæ *ciuitates (nam ita appellant hodie)alluit.* Porrò *deinde* Tugnis *amnibus susceptis* Bremgartē *ac* Mellingen *(oppida sunt ditionis* Heluetica*) lapsus infra* Brugas *Arolæ commiscetur.* Denique Arola *ipse ex ijsdem summis* Alpibus *ortus in* Septentrionem *uersus, paulò plus tamen quàm* Vrsa *ad occasum primum inclinans, per lacum* Tunensem Bernam *lapsus,& ipsam amplissimam* Heluetiorum *urbem ambit:dein paulò infra* Bernam *alterū accipit flumen* Sanam *è ualle eiusdē nominis,al-*

tissimis septam montibus, ac Nicolai Vuinman *docti nostra ætate uiri patriã delapsum, quod* Friburgum *nobilem illam urbem ambit,ut* Arola Bernã.*Ibi in ortum ambo conuersa flumina sub* Arolæ *nomine* Salodorũ *perueniunt.* Et *hoc quoq; oppidũ antiquissimum est non modo* Heluetiæ,*sed uniuersæ* Celticæ. *Deinde per terrã nobilissimam ab ipso* Arola *denominatã,receptis* Vrsa *ac* Limago,Rhenum *infra* Clingonouu(*oppidum est* Episcopi *Constantiẽsis*)*ingrediũtur. Confluẽtis nomen adhuc loco manet,sed non incorruptũ,*Coboletz *enim uocat* Heluetiorum *lingua:miserrimus hodie est uiculus.* Nomen *à* Romanis *loco est inditum, cum ibi aduersus* Hercinios *excubarent.*Nec *procul inde abest* Rauracorum *oppidũ* Vualtzhuot,*quod nomen significat syluæ custodiam,* Rauracorúmne *aduersus* Germanos *munimentũ,an aduersus* Germanos, *incertum.*Ad Cõfluentem *igitur illum tria* Heluetiorum *flumina* Limagus, Vrsa, *ac* Arola *in* Rhenum *exonerantur.* Vr *autem paulò superius,infra maiorem tamen* Rheni *cataracten,qui sub* Schaffhusia *est,*Rhenum *influit.*Hæc *igitur quatuor flumina quatuor* Heluetiorum *pagi cre duntur.* Hunc *locum haud scio an quisquam ante me explicuerit, cum ego doctissimos meæ ætatis homines ea de re sæpius interrogauerim.* Sed *quale inde respõsum tulerim,non est opus hic referre.*

Qui *bello Cassiano dux* Heluetiorum *fuerat.*

Nota *bellum à uictis more* Romanorum *uocari.*

Interim *quotidie Cæsar.*

Digressio *est paruula ab historia* Heluetiorum *de dolis* Dumnorigis *principis* Heduorum, *qui cum* Romanis *militabat,sed* Heluetijs *fauebat.*

Propter liberalitatem.

Videtur liberalitatẽ pro largitione accepiſſe: cũ Liberalitas in bonã, Largitio in malã accipiatur partem.

Portoria.

Portorium, eſt merces quæ portitoribus datur, ait Nonius Marcellus. Portitor autem qui uectigal portus conduxit, quod Portorium uocatur.

Quod Diuitiaci fratris ſummum.

Quid amicis debeamus, eximiũ fuerit hoc exemplũ.

Et quotidianis interpretibus.

Vide hunc locum, ubi Cæſar per interpretes cum Gallis locutus eſt.

Et res per fugitiuos L. AEmilij Decurionis.

Vide Laurentiũ Vallã libro. 6. cap. 32. Quid Decurio.

Ita uti ſupra ſe.

Sex legiones Cæſar habebat, ſed cũ quatuor duntaxat more Romanorum prælium commiſit. Erat enim conſularis exercitus IIII legionum, auctore Polybio.

Milites è loco ſuperiori pilis miſſis.

Pilum Romanum, haſta erat quinque pedum, ſed ferrũ eius ſeſquipedem habebat. Totius itaque pili longitudo erat ſex pedum ac ſemis.

Mazaras ac Tragulas.

Mazacis apud Heſichium eſt haſta Perſica, genus teli, cuius formam non exprimunt auctores. Tragula uerò, ut ait Feſtus Pomp. genus teli, dicta, quòd ſcuto infixa trahatur.

In fines Lingonum.

Apud Lingones, ait Cæſar lib. 4, oritur Moſa fluuius, unde non eſt difficile coniecturare de eis. ſunt enim noti.

Verbigenus.

Per pagum, fluminis tractum, & secundũ eum hominum habitationes intelligi, superius declaratum est. Atqui tractibus hisce (ut ita loquamur) nõ sunt eadem quæ fluminibus nomina, cum Limagi accolæ Tigurini dicantur. Et hic Verbigenus pagus nullius fluminis nomen est, sed tractus haud dubiè: at cuiúsnam fluuij inter treis reliquos, id demum difficultatem nobis ingerit. Codices uetustiores non Verbigenus, sed Vrbigenus habebant. Vnde duæ coniecturæ diuersæ doctioribus ortæ sunt. Alteri putant ad Arolam habitationem Vrbigenum pagum dici ab Orba, hodie adhuc peruetusto oppidulo ditionis Bernensium ac Friburgensium, ad quem sanè ut proximum domicilium, sex hominũ milia eius pagi contèderint, cũ Cæsar existimarit eos ad Germaniam tendere. Alteri per Vrbigenũ pagum, Durgeam hodie dictam terram designari putant, ab Vr flumine, maxime quòd Germanorum Rhenique hîc fiat mentio, cui Rheno flumini Durgeani sunt uicini. Lectori integrum sit iudicium. Reliquorum duorum pagorum siue tractuum nomina nusquam, quod sciam, inueniuntur. Itaque eum, qui ad Vrsam est, tractum, cogitandum quo pacto appellemus, Tauriscúmne, à Taurriscæ gentis reliquijs, qui hodie sint Vri. Atqui illi posterioribus seculis has sedes occupasse uidentur, ut ab illis non potuerit tempore Cæsaris esse denominatio. An potius Tugnum. cum Tugnorũ Strabo & 4, & 7, libris magnifice meminerit: & locus Tugium sanè uidetur antiquissimus. Eum autem qui ad Arolam est, quidã Iurassium, quidã Antuatium nominandum censent: fortassis & Auenticensis nominari potuit.

Heluetios,Tulingos.

Miru uero quid cum Rauracis *actum sit: nam horum hic non meminit.* Valde *suspicor incuria librariorum omissum nomen, & eos quoque iussos redire in patriam, ut* Heluetios, Tulingos, *ac* Lacobrigos, *quibus erant uicini.*

In castris Heluetiorum.

Tabulæ hoc loco intelliguntur militares indices, nẽpe in quibus duces, militum nomina perscripta habent. Vulgus *uocat* Registra. *Literis autem Græcis, non lingua* Græca *confectæ erant. Lingua enim* Gallica, *qua hodie* Heluetij *utuntur, non minus* Græcis *literis, quàm* Latinis *scribi potest.*

Repertus *est numerus.*

Numerus *hostium à* Cæsare *uictorum ita ponitur: primum enim cuiusque populi capita numerãtur: deinde ex his omnibus qui arma ferre possent, adijciuntur: postremo summa ponitur omniũ capitum, in qua summa sunt etiã ista nonaginta duo millia, eorum qui arma ferre potuerunt, comprehensa.*

Totius ferè Galliæ.

De Gallis, *hoc est* Celtis, *toto hoc libro deinceps loquitur.*

Horum *primo circiter.*

Aruernos Ptolemæus *ad fontes* Ligeris *amnis ponit: hodie ea regio nomen tenet. Fuerunt enim* Hedui *à* Sequanis *Aruernísque duobus locis clausi.* Porro Sequani, *cum ad* Rhenum *usque extenderentur, perfacile habebant* Germanos *in auxilium uocare.* Quàm *belle uerò eiusmodi res illis asserit, sequentia* Diuitiaci *uerba declarant.*

Sed peius.

Vide an eam partem terræ putet, quæ hodie adhuc nomen tenet SunggeuVV, & superior Elsatia: uicini enim sunt Rheno & Germanis.

Harudum.

Harudes qui sint ex Germanis, non satis certo constat: quidã eos ex Eremo Heluetiorum, quod caput Herciniæ siluæ quondã erat (nũc uulgo SchVVartzVVald nominatur) fuisse contendunt. Porrò ea silua Trãsrhenana fuit, auctore Ptolemæo. Adijcitque Cor. Tacitus, eã quondã ad Mœnum usque amnem, suo imperio tenuisse Heluetios. Ptolemæus autem Charudes in Cimbrica ponit Chersoneso, unde in militiam longinquam accersiti uidentur, ut ferè Germanorum est militia.

Amagetobriæ.

Amagetobria, quod oppidum sit, ignoratur. Marlianus Magetobriam ponit, & Galliæ uocari ait Toaut. Quidam libri habent Admagetrobia.

Cimbri Teutonique.

Cimbri populi in extremo angulo Germaniæ ad Septentrionem Chersonesum habent, hodie Daci, sed corrupte, uocantur. Nam Danos esse eos nominatos à rege Dano in Chronicis eorũ scriptum est. Regem habent proprium, cuius imperio parent Scandinauenses, Noruegia, pars Gotthiæ, & multæ præclaræ alioquin insulæ. Vide de Cimbris Strab. lib. 7, multis uerbis differentem. Teutones Ptolemæus non longe ab Albi fluuio inter Pharodinos & Sueuos ponit. Tacitus à Tuiscone rege nomen habere putat, & alludit uulgaris linguæ denominatio. Vicus hodie est è regione urbis Agrippinæ trans Rhenum, nomen eius regis obtinens, ut pu-

tant. Neque Teutones & Germani ijdem sunt, neque Alemanni & Germani.

Treuiri autem pagos.

Treuiri ad Mosellã fluuiũ ciuitatem habent, quam aiũt ab Abrahæ filijs ædificatam, hodie episcopatus est ex septem Romani imperij unius Electoris. Locus præterea cum nomine multas antiquitates ostendit.

Pagos centum Sueuorum.

Sueuos Ptolemæus ad Albim fluuium ponit, qui tamen olim maximam partem Germaniæ occuparunt, latissiméque protendebantur: quippe quorum erant centum pagi. Deinde mutatis sedibus ad caput Danubij, & Herciniæ siluæ consederunt, Rhætiáque nõ illius ueteris, sed Romanæ prouinciæ inter Danubiũ ac Rhenũ, aliquam partem adhuc hodie possident. De his Cæsar lib. quarto copiosissime: ubi & nos multa alia.

Vesontionem.

Vesontionem oppidum Sequanorum Ptolemæus nominat Visontium, & uulgus hodie Bisontium: fluuius qui oppidum propemodum circundat, à Ptolemæo Dubis nominatur: Cæsar Alduabin aut Alduasdubim (nã codices mire uariant) appellat. Cæterum qui fuerint Ernesti regis fines, nusquam nobis expressit Cæsar. At ego puto eum ad Herciniam Brisgoiæ terræ fuisse dominum, aut non longe ab ea.

Factum etiam nuper in Italia.

Videtur de Sparthaco loqui gladiatore: quanquam nihil certi affirmamus.

Ernestum cum multis.

Loquitur de pugna Amagetobriæ facta: de qua paulo superius mentionem fecit.

Frumentum Sequanos, Leucos, Lingonas subministrare.

Leuci populi sunt ad Mosellam, nec ita longe à fontibus eius. Hodie episcopalis urbs est eorum Tullium in Lothoringia: ut rectè annotauit Marlianus.

Sibique eam prætoriam cohortem futuram.

Prætoria cohors est dicta, quòd à prætore non discederet. Scipio enim Africanus primus fortissimum quemque delegit, qui ab eo in bello non discederent, & cætero munere militiæ uacarent, & sexquiplex stipendiũ acciperent. Festus Pomp.

Heduos Romanis auxilium tulisse.

Argutum argumentum est, quo Cæsarem uanitatis arguit. Quippe Hedui Romanis non fuere auxilio contra Allobrogas, nec contrà Romani Heduis, cum aduersus Ernestum pugnarent.

Et Ruthenos.

Ruthenos Ptolemæus inter Aquitanos ponit, quanquam ex uerbis Cæsaris Aruernis propinqui uidetur. Et quanquam Cæsar hîc ait non redactos in prouinciam, tamen postea sæpe leguntur prouinciales. Quidã etiam duplices faciunt Ruthenos, prouinciales, & non prouinciales. Ciuitas eorum hodie Rhodez dicitur. Cæterũ Q. Fabius Maximus hîc fuit COS. cum L. Opimio, anno ab Vrbe condita DCXXXIII. cum hic annus sit DCXCVI ab Vrbe condita. Meminit Florus in Epitome lib. LXI.

Omnes alarios.

Alarij milites sunt non satis solidi ac firmi, ideóque à lateribus adhibebantur, tanquam alæ. Vnde & nomen inuenerunt.

Harudes.

Incerta distinctio est, incertáque lectio. Nam si legas Consiterunt, necesse est sequi nominatiuum: Sin Cõstituerunt legas, accusatiuum: quanquam coniunctio, paribúsque interuallis, haud scio quã aptè hæreat. Ideóque locum corruptum opinor, nec facile restitui posse, nisi uetusto aliquo exemplari adiuti fuerimus. Quidã suspicantur Harudes nominatiui esse casus (etenim illorum erat bellum) alios autem populos in accusatiuo construi ad uerbum Circundederunt, quod nescio quàm probem.

Marcomannos.

Marcomannos Ptolemæus apud Gabritam Germaniæ siluam ponit ultra Danubium, ac è regione Pannoniæ superioris. Satis constat eos esse Morauienses. Nã & Germanica uox alludit Marrhenlandt, à marcha, hoc est termino.

Tribotes.

Tribocos Ptolemæus locat rectà sub Rauracis ad Rhenum. Strabo lib. 4, Tribocchos uocat: ídque rectius. Nã à tribus fagis nomen habent, Tribuocchen. Plinius libro 4, cap. 17, uocat Tribocos. & uerisimile est Brisacum designari. Nam & constans fama est oppidum illud in Gallia olim situm fuisse, quod nunc in Germania est, mutato Rheni alueo.

Vangiones.

Vangiones Ptolemæus sub Tribocis, & Nemetes sub Vangionibus ponit. Quod si illic uerè legitur, non erunt Nemetes Spirenses, neque Vãgiones Vormacienses. Spira quippe supra Vormatiã est. Sed in his neque oportet in omnibus codici accedere Ptolemæi, qui in

particularibus, ut ita dicam, locis sæpe exorbitat: neque communibus literatorum coniecturis credere, qui sæpe prisca temere nouis comparant.

Sedusios.

Sedusij non sunt Seduni, sed Germani, ut testatur Plinius lib. 4, cap. 17. Et quamuis Triboci, Vangiones, & Nemetes in Gallico littore sedes habeant, tamen aut origine, aut uicinitate, aut lingua Germani uideri poterant: Ideóque Ernesti regis partes secuti. Andreas Althamer insignis nostra ætate antiquitatis indagator, Sebusios legendum putat.

Quos Vbij, qui proximi.

Vbij populi Trāsrhenani, & apud Tacitum, & C. Cæsarem, hodie eorum creditur urbs Agrippina Colonia, quæ olim Transrhenana fuisse dicitur, ut testantur illorum Chronica. Cuius rei hodie multa sunt indicia: quippe apud Diui Panthaleonis ac undecim millium uirginum templa planè ueteris aluei uestigia uidentur. Sed postea Gallicæ terræ facta, Diuitense munimentum habuit, quod hodie Tuitium uocant.

Ad conuentus agendos.

Conuētus quatuor modis intelligitur: Vno, cum quēlibet hominem ab aliquo conuētum esse dicimus. Altero, cum significatur multitudo ex compluribus generibus hominū cōtracta in unum locum. Tertio, cum à magistratibus iudicij causa populus congregatur. Quarto, cum aliquem in locum frequentia hominum supplicationis aut gratulationis causa colligitur. Hæc Festus Pompeius.

IN C. IVLII CAESARIS COMmentariorum de bello Gallico librum II Glareani annotationes.

In hoc secundo libro habentur quæ Cæsar bella gesserit in Belgis, tertia Galliæ parte: ac primo de origine Belgarum disserit: deinde, ut cū uniuersis congressus sit ac uicerit: postea in Neruijs egregia illa pugna describitur: Aduaticorum item expugnatio, & perditio. Denique ciuitatum Armoricarum, quæ hodie Britanniæ nomen obtinent, deditio.

Cum esset Cæsar.

Secundus annus belli Gallici COSS. P. Cor. Lētulo, & Q. Metello nepote, anno ab Vrbe condita DCXCVII.

Caleos X millia.

In hac Belgarum descriptione ferme populorū nomina hodie constant uetere appellatione, quanquā corrupta siue apocopata, de quibus Marlianus recte sentit. Quidam autem Caletos legunt per t in ultima syllaba. Quidam etiam aliqua horum populorum nomina inclinant tertia declinatione, quæ alij secunda. Nō est autem dubium quin Romani Gallica nomina omnia corruperint, sicut contrà nostra ætas Romanis sua deprauat.

Loco pro castris.

Videtur legēdum esse, Loco opportuno atque idoneo capto. alioqui nullus uidetur sensus. Est autem topographia, hoc est, loci descriptio pro instruenda acie eleg antissime posita.

Sectionem eius oppidi uniuersam.

Sector est æstimator redemptórque bonorum damnati atque proscripti. Ascon. Pædianus. *Res autem ipsa* Sectio *dicitur.*

Ad Venetos, Vnellos, Osissinos.

Venetos *Ptolemæus maritimos facit in* Lugdunensi *Gallia, à quibus putat* Strabo *libro quarto* Venetos *in* Italia *nomen suum habere : quod uerisimilius est quàm quod* Liuius *perpetuus* Gallici *nominis hostis, fabulatur, ab* Antenore *proditore urbis* Troiæ *originẽ traxisse* Paduanos, *ab* Heneto Paphlagonum *duce* Venetos. Osismios Ptolemæus *uocat, quos* Cæsar Osissinos, *quanquam hoc nomen mire uariatum inuenitur.* Vnelli *præterea ad mare ex aduerso* Britanniæ *positi sunt.* Cæterum *qui hîc enumerantur populi, hodie* Britanniæ *nomen habent. hoc enim nomen in* Continentem *migrauit, cum prius* Insulæ *esset.* Nunc *uerò* Britonibus *eiectis* Anglia *recens nomen est insulæ, quanquam eius* Septentrionalem *partem tenent* Scoti. Manſit *igitur nomen* Britonum *in* Gallia. Porro Carnutes *&* Rhedones *populi inter* Ligerim *&* Sequanam *amnes sunt, eodem auctore* Ptolemæo: *& non longe ab eis* Andes, *ubi in hibernis fuit exercitus* Cæsaris. Aulertij *autem hodie* Normandiæ *sunt populi: de quibus postea plura.*

Annotationum in librum II *finis.*

IN C. IVLII CAESARIS COMmentariorum de bello Gallico librum III Glareani annotationes.

TERTIVS commentariorum liber, tertij anni huius belli historiã complectitur, ab urbe cõdita anno DCXCVIII. COSS. Cn. Lentulo Marcellino, L. Martio Philippo. Insunt autem quatuor bella. Primum Serg. Galbæ aduersus Sedunos, Veragros, & Antuates. Secundum ipsius Cæsaris ac Bruti in Venetis. Tertium Q. Titurij Sabini in Vnellis. Quartum P. Crassi in Aquitanis. Adiũgitur his expeditio Cæsaris in Morinos ac Menapios: ubi nihil dignum memoria actum est.

Sedunósque misit.

Rectissimo ordine Cæsar hosce nominauit populos: sunt enim ex Heduis ad summas Alpes eunti, primi Antuates, medij Veragri, ultimi Seduni: sed non est tamen eadem regionis conditio, optimam Antuates, mediocrem Veragri, asperam sed multo longiorem Seduni tenent: qui quidem Seduni à summis Alpibus initio sumpto, atque adeò à fontibus Rhodani secundum ipsum flumen uallem habent extentam C millia passuum. Homines liberi, & quos Romani nunquam cogere potuerint ut ipsorum discerent linguam, quod signum est uel nihil ibi unquam, uel paruo admodũ tempore potuisse Romanos. Habent itaque adhuc antiquam linguam Galliæ, qua etiamnũ Heluetij utuntur. Rhodanus sanè mundatione frequenti multa illis adfert incommoda, nec minus ingentes illi torrentes, qui tantum saxorũ, ut monteis æquare queant, ingerunt. Ipsi hodie pri-

stina retenta uirtute, Veragris, qui Romana utuntur lingua, dominantur, ac in prouinciam redegere, parte etiam Antuatium occupata. Sedunum præcipuum eorũ oppidum est, in quo Episcopum constituunt, qui regioni & ut princeps, & ut Ecclesiasticus præsul imperat, liberis tamen, non seruis: nihil enim publicè agit absque omnium ciuium eius regionis consensu. Heluetijs sunt confœderati, ut Rhæti, maxime quatuor partibus Luceriæ, Vriæ, Suitiæ, ac Siluaniæ, quibuscum ueterẽ ac maiorum suorum fidem nostra ætate egregie defenderunt. Cæterum Octodorus in Veragris uicus hodie Martanach dicitur, flumini adiacet quod ex Pœnino monte (maior S. Bernardi uocatur) Septentrionem uersus fluens, Rhodano commiscetur. Agaunum autem locus est, qui hodie S. Mauricij dicitur, ad Rhodanũ amnem, in ipsis etiã Veragris. Antuates autem inter Veragros ac Allobrogas medij sunt, sed magis à latere lacus Lemani, quà ad Heluetios pertinet. Hæc ferè ex D. Agedij Tschudi ciuis nostri Rhæticæ ueteris descriptione. Antuatibus nostra ætate præfuit generosus Baro, Lulini dominus, Aymo à Gebẽnis cũ filijs Georgio, Guidone, ac Prospero. Porrò de summis Alpibus, qui Pœninas esse Alpes astruũt ad Octodorũ, egregiè decipiuntur. Nam Cæsar hoc loco Sedunorũ, Veragrorũ atque Antuatiũ longitudinem exprimere uolẽs, ait eos à finibus Allobrogum & lacu Lemano & flumine Rhodano ad summas Alpes pertinere: qua descriptione nihil luculentius dici potest. Cæterum ubi potius summas Alpes dixerimus, quàm ubi in omneis mundi plagas flumina eximia fluũt ac originẽ habent? Sunt autẽ hac Alpiũ parte septem hæc, Ticinus qui ad Meridiẽ,

Tosa ac Madia ad eũdem, Rhodanus ad Occasum, Arola ac Vrsa ad Septentrionem, Rhenus ad Ortũ duobus fontibus, ut postea dicemus libro sequenti.

Concisa æstuarijs.

AEstuaria loca sunt marinis aquis referta.

Socios sibi ad id bellum.

Qui hoc in loco numerantur populi, partim sunt Celtæ, ciuitatum maxime Armoricarum, hodie Britanniæ ducatus: partim sunt Belgæ, hodie Normaniæ Comitatus. Morini tamen & Menapij remotiores.

Quas ex Pictonibus & Santonis.

Santonibus puto legendum. Nam libro primo tertia utitur declinatione. Iter, inquit, in Santonum fines facere. Rursus de eisdem, Dum omnibus fortunis sociorum consumptis in Santones Heluetij peruenirent. Nisi quis putet Cæsarem eo nomine utraq; usum declinatione: sicut Mediomatricum nomine, libro 4. ubi de Rheni fluxu, tertia. At lib. 7. ubi de Gallorum copijs, secunda utitur. Codicum fidem ubique in dubium adducere, nimium solenne est. Sed iudicet lector.

Carinæ aliquanto planiores.

Carina, infima nauis pars est.

Transtra ex pedalibus in altitudinem.

Trãstra & tabulæ nauium dicuntur: & tigna, quæ pro pariete in parietem porriguntur: auctore Festo.

Pelles pro uelis, alutæque tenuiter:

Pellis postquam est concinnata ad calceos, & cætera opera facienda, aluta dicitur. Varro.

His cum fines, qui antennas.

Antennæ sunt ligna per transuersum in malo posita, in quibus uelum alligatur.

Tanta subito malacia.

Malacia est maris quies, cum fluctus omnino quiescunt. Suidas ῥαθυμίαν *exponit.*

Atque his paucis diebus Aulerci Eburonices.

Ptolemæus triplices ponit Aulercos in ipsa adeo Lugdunensi Gallia, *quæ inter* Sequanam *ac* Ligerim. Primos Diabolitas *aut* Diaulitas, *ut alij habent codices, quos* Cæsar *paulò antè in hoc libro* Diablintres *uocasse uidetur.* Hi *proximi sunt* Venetis. Alteros Cænomannos, Andibus *ad* Ortum. Tertios Eburaicos *à* Ligeri *ad* Sequanam *protensos, quos hîc* Cæsar Eburonices *uocat.* Vnus *igitur hic populus* Aulerci Eburonices, *non duo.* Aulerci Gallica *lingua uidentur dici* Owlercher: *&* Diaulitæ *die* Owuluot. Cænomanni *uero* Kuenmaenner, *quos* Græcè Thrasyandros *dicere possis.*

Sontiates magnis copijs.

Sontiates populi Aquitaniæ, *quos* Plinius *lib.4. cap. 19,* Sotiates *uocat, ubi de* Auscis.

Alia ex parte oppidi Adcantuannus.

Hic *suspensus est sermo per longius hyperbaton, sed ea tamen uerba postea repetit.* Exẽplum *simile est* AEglogæ 8. *Virgilij ab initio:* Pastorum Musam Damonis *&* Alphesibæi.

Crassus in fines Vocontiorum.

Vocates, uel, ut alij uocant, Vocatij, *populus* Aquitaniæ, *sicut &* Tarusates, *uicini* Sontiatibus, *qui non lõge à* Tolosa *&* Narbone *absunt.* Vocontij *uero* Galliæ Prouinciæ, *proximi* Allobrogibus, *ut ex libro primo patet.* Hîc *igitur legendum est, aut* Vocatiorum, *aut* Vocatium, *non* Vocontiorum.

Quæ ex Aquitania Cantabriſque.

Cantabri ſunt populi Hiſpaniæ ad Septentrionem atque Oceanum Britānicum Galliaímque ſpectantes, qui & mari & terra facile in auxiliū Aquitanis uenire poſſunt. Tarbelos porrò Ptolemæus Aquitaniæ populos itidem ad mare collocauit. Bigerrones non longe abſunt à Turſa in Vaſconia, tum Preciani, Vocates (à quibus putant Vaſcones dictos & Vaſconiam) Taruſates (Turſani hodie) Fluſtates (quorum & hodie nomen manet) Garites his finitimi fuerunt, omnes hodie ſub nomine Vaſconiæ. Auſcorū meminit Mela & Ptolemæus: hodie nomen quoque manet. Cæterum Garūni qui eſſe poſſunt alij, quàm qui Garumnam flumen circumhabitant? Sibuzates uero & Cocoſates qui hodie ſint, parum conſtat: certum tamen eſt Aquitanos eſſe.

Morini Menapij'que ſupererant.

Morinos & Menapios Cæſar hoc loco coniunxit, quaſi uicini ſint hi populi: rurſus libro ſequente, ubi iturus in Britanniam, Q. Titurium & L. Auruncul eium in Morinos atque Menapios miſit. Ad finem autem eiuſdem libri eos ex Menapijs ueniſſe ait, cum ipſe Morinos domuerit per T. Labienum illuc miſſum. Veriſimile eſt aut latum habuiſſe imperium uel Morinos uel Menapios, aut hic ineptè librariorum errore coniūctos, uel alium quempiam populum alterutrius loco ſuppoſitum, quod equidem lectori diſcutiendum relinquo.

IN C. IVLII CAESARIS COMmentariorum de bello Gallico librum IIII Glareani annotationes.

SVNT in hoc quarto libro hæc ordine: Bellũ contra Vſipetes & Tenchtheros Germanos, qui à Sueuis pulſi, in Gallia armis ſedes ſibi quæſierant: ubi obiter Germanorum mores deſcribuntur. Deinde tranſitus exercitus Cæſariani per Rhenum in Germaniam: ubi difficillima põtis deſcriptio habetur. Vltimo nauigatio in Britanniam inſulam, quæ hodie Anglia dicitur, & reditus mediocriter felix.

Vſipetes Germani & item Tenchtheri.

Vſipetes & Tenchtheri, quas olim habuerint ſedes apud Germanos, apud pleroſque dubium. Althamerus tamen inſignis noſtra ætate rerum Germanicarum indagator, Vſipetes ad Rhenũ fuiſſe putat, maxime in eo tractu, ubi nunc Franci ac Heſſi colunt, nempe à Franciuado nobili Emporio, Mœni oſtio, ac Occidẽtalem uulgo uocatũ Siluã VVeſterwaldt, & Confluentes uſq;. In qua plaga Ringoia eſt infra Maguntiacũ ad dextrã Rheni ripã. Tẽchtheros uero infra illos ad Vbios uſque eadem Rheni ripa collocatos aſſerit. Heſſi hodie eas regiones tenẽt. Hæc ex illo. Tacitus hoſce duos populos ait proximos Cattis colere Rhenũ, certum iam alueo, quíque terminus eſſe ſufficiat. Cæterũ ipſe Vſipios appellaſſe uidetur ſecunda declinatione. Ptolemæus Viſpios, Tenchtheros uero Tingeros. τιγγέρους enim Græcus habet codex. Hoc autem lectorẽ merito moretur, ſi Vſipetes & Tenchtheri Rhenani

fuerunt, ut ex Tacito ac Ptolemæo colligitur, quónam pacto triennium uagati, ut hîc ait Cæsar, Rhenũ peruenerint, qua regione (nam ita legendum puto, nõ quas regiones, ut etiam ipsius transitus locus describatur) Menapij incolebant, quod utique lectori cogitandum relinquo. Nisi forte Cæsaris tempore alias, quàm Cornelij ac Ptolemæi habuerint sedes. Sed hæc de his. Sueuos autem Ptolemæus triplices facit, Langobardos Australiores Sycambris à parte Rheni (quanquam eo in loco Oquebos inepte alij legunt, Bilibaldus Pyrckhaymer eximius rerum antiquarum, dum uiueret, scrutator ac iudex, & nobis amicus, Silebos traduxit. at miror Ptolemæi mentem id loci nõ exactius animaduersam). Alteros Angelos magis Orientales Langobardis, & in Septentrionem ad medium Albis extentos. Tertios Semnones à medio Albi Orientem uersus ad Sueuum usque fluuium. Quo sanè ex situ quàm late olim patuerit Sueuorum natio, satis liquet. Ptolemæus inter Germanos, quos Rheno propinquos facit, & Sueuos Langobardos ponit. Postea uero cũ Germanos Mediterraneos numeraret, qui ipsorum lingua Hertuoner nominantur (Plinius corrupte aliquanto Hernuones uocat): ibi uero treis ingenteis commemorat populos, Sueuos Angelos, Sueuos Semnonas, & Buguntas: Verba ipsius Græca subiungam: Τῶν δὲ ἐντὸς καὶ μεσογείων ἐθνῶν, μέγιςα μὲν ἐςι τό, τε τῶν συήβων τῶν Ἀγγειλῶν. οἱ εἰσιν ἀνατολικώτεροι τῶν λαγγοβάρδων, ἀνατείνοντες πρὸς τὰς ἄρκτους μέχρι τῶν μέσων τοῦ ἄλβιος ποταμοῦ. Καὶ τὸ τῶν συήβων τῶν σεμνόνων, οἵτινες διήκουσι μετὰ τὸν ἄλβιν ἀπὸ τοῦ εἰρημένου μέρους πρὸς ἀνατολὰς, μέχρι τοῦ συήβου ποταμοῦ. Καὶ τὸ τῶν βουγουντῶν τὰ

ἰρέξης, καὶ μέχρι τοῦ οὐισούλα κατεχόντων. Quæ uerba ita uertenda erant: Interiores autem & mediterraneæ gentes maximæ ſunt, tum Sueui Angeli, qui Langobardis magis Orientales ſunt, in Septentrionem protenſi, ad medium uſque Albis fluuij. Tum Sueui Semnones, qui habitant poſt Albim à prædicta parte, ad ortum ad Sueuum uſque fluuium. Denique Buguntæ, qui reliqua deinde ſequentia, ad Viſtulam uſque flumen tenent. Buguntas puto à Ptolemæo dictos, quos poſtera ætas Burgundos uocauit. Noſtra ætate Sueuorum natio de uetere ſede nihil poſſidet. Nam hæ gentes, ubi illi olim ſederunt, ne nomen quidem Sueuorum ferant, ſi quis forte Sueuos appellarit.

Ii centum pagos habere dicuntur.

Centum horum pagorum lib. 1. antè mentio facta eſt. Sed pagum haud dubie alia ſignificatione dixit, quàm cum de Heluetijs loqueretur: ibi enim pagus ut minimum, XX millia hominũ continebat: hîc uero pro ditiuncula binorum aut ternûm millium uirorũ accipitur, quemadmodũ poſtea cũ de Morinis in hoc libro loquitur: Reliquum, inquit, exercitum Q. Titurio Sabino, & L. Aurunculeio Cottæ legatis in Menapios, atque in eos pagos Morinorum, ab quibus ad eum legati non uenerant, ducendum dedit. Verum hoc ſciendũ, quemadmodum omiſſa de Vſipetibus ac Tenchtheris cœpta narratione ad Sueuos Cæſar diuertit, ita mox relicta de Sueuorum centum pagis cœpta hiſtoria ad omnium Germanorum mores enarrandos ſtatim ſermonem conuertit. Quod ex his manifeſtum eſt. nã quæ hîc de equeſtribus prælijs ſcribit, mox in Vſipetum ac Tẽchtherorum pugna eadem commemorat. Item, quæ

de priuato nullo agro, de uictu ex lacte, de corporũ nuditate, eadem omnia sunt lib. VI *de Germanis*. *Deniq; cum de iumentis hic loquitur, quibus maxime* Galli *delectentur, quæque impenso parent pretio, continuo non* Sueuos, *sed* Germanos *subnectit:* Germani, *inquiẽs, importatis nõ utuntur, &c.* Atqui *Cæsar ipse, ut hoc loco & lib.* VI *sibi constet, uix equidem expedio.* Hic *enim per millenûm uirorũ apud* Sueuos *cõmutationem, neque belli neq; agriculturæ rationẽ intermitti scribit.* In *sexto uero,* Germani, *inquit, agriculturæ non student.* Rursus *hoc in loco,* Neq; *lõgius, inquit, anno remanere uno in loco incolẽdi causa licet.* Paulo *uerò pòst in hoc adeo libro,* Sueuos *oppida habere cõmemorat, de quibus iussi sint missis nuntijs, post habitũ concilium, demigrare.* Ad *quid autẽ oppida habent, si non liceat lõgius anno remanere uno in loco incolendi causa?* Sed *habent hercules, habent inquam historici* Romani *ubi haud dubie negligentiæ accusari queant.* Quidam *nostra ætate de* Sueuis *sermonem ingressi, ita latos eorum faciũt fines, ut totam ferè* Germaniam *occupent.* Vnde *planè euenisse credo, cum* Germanum *dicere uellent,* Sueuum *dicerent.* Quæ *cõsuetudo etiamnum apud* Heluetios, *unicas ueteris* Galliæ *reliquias, manet.*

Et *in fines* Eburonum *&* Condrusorum.

Condrusorum *&* Eburonũ *suprà etiam meminit lib.* II, *ubi à* Germanis *originẽ eos ducere dixit.* Quidam Eburones *hodie putant* Leodienses *esse,* Condrusos *uero* Aquenses, *unius diei ab* Agrippina *itinere.*

Mosa *profluit ex monte* Vosego.

Mosam *fluuium* Cæsar *luculenter describit, seruat autem etiamnũ nomen, sed pars* Rheni *quæ ipsum ex-*

cipit, hodie Valis dicitur, allusione ad Cæsaris uocem, qui Vacalon appellat, quanquã uetustiores codices Vualim habent. Vosegus autem mons, ab alijs Vogesus, late patet. Separat enim Burgundos hodie & Lotharingos, deinde Elsatiam ab eisdem Lotharingis. meminit eius Lucanus in primo Pharsaliæ:

Deseruere cauo tentoria fixa Lemanno,
Castráque, quæ Vogesi curuam super ardua ripam
Pugnaces pictis cohibebant Lingones armis.

Quæ carmina, ut mendosá, Antonius Sabellicus aliter legit, maxime duo sequentia.

Castráque Vosegi curuam super ardua rupem
Pugnaces pictis cohibentia Lingonas armis.

Vnde de huius nominis syllabis quantæ sint, nihil definire quimus: quando in uulgata lectione priores utræq; correptæ, in Sabellici productæ legantur. Quanquam si uulgata lectio uera esset, Vosegus siue Vogesus flumen potius quàm mons uideri poterat. Quare hoc lectori neutiquam negligendum: nos certe nullum alium auctorem habemus, quantum equidem meminisse possum, ex quo certiora adferremus.

Rhenus autem oritur ex Lepontijs.

Neminẽ ducat admiratio, si ueteres Geographi, quãdo omnia, uel hostilia, uel inaccessa, incognitáue erant, de Rheni ortu tractúque adeo exiguam nobis aperuerunt notitiã, quando nostra hac ætate, cum omnia pacata, omnia lustrata sint, quidã ex professo de fluuiorum tractu scribere aggressi, nobis & Rhenum & Danubium duo maxima celeberrimáque Europæ flumina, non satis luculẽter, imo ualde accise descripserunt. Inter ueteres tamen scriptores, Latini, quorũ imperium

ad utrunque flumen finiebatur, multo magis quàm Graeci *mihi uisi sunt negligentes.* Nã Strabo *atque* Ptolemaeus, Dij *boni, quàm multis stadijs, diligentia, ac sedula cura praecurrunt* Plinium, Tacitúmque, *utrunque rei scribendae oculatum (si* Dijs *placet) testem.* Plinius *lib.3, cap.20.* Sarunetes *ortum* Rheni *accolunt, inquit.* Item *libro 4, cap.15. ostiorum* Rheni *meminit, originis nihil.* Tacitus *in* Germaniae *descriptione,* Rhenus, *inquit,* Rhaeticarũ *Alpium inaccesso ac praecipiti uertice ortus modico flexu in* Occidentem *uersus,* Septentrionali Oceano *miscetur.* Haec *ille adeo breuiter de* Rheno. De Danubio *non minus concisus est.* Sed *cum de modico* Rheni *in* Occidentem *flexu mentionem faciat, ut quid non & de eius modico in* Orientem *flexu aliquid commemorat?* Nulla *hercle causa dari potest, nisi quia non norat, alioqui neutiquam taciturus.* Luculentius *aliquanto* Pomponius *Mela, quem uetustiorem aliquanto utroque existimo, utpote sub* Claudio Imperatore, *ut quidam non imperite ex eo ipso colligunt.* Rhenus *(inquit lib.* III *) ab* Alpibus *decidens prope à capite duos efficit lacus,* Venetum & Acronium: Mox *diu solidus & certo alueo lapsus, haud procul à mari huc & illuc dispergitur.* Haec *ille.* At *longe clarius* Strabo *auctor* Graecus *haec lib.* IIII *ac* VII *disserit: ubi etiam populos, lacus, accolas, item lõgitudinis latitudinísque terminos commemorare non est grauatus.* Sed *operaepretium uidetur, quando propè ad caput eius fluuij nati sumus, ac toties ipsum totum penè flumen nauigauimus, ut certiora de hoc, sed maxime quod ad caput attinet, ex certa ac indubitata descriptione* D. AEgidij Tschudi *tradamus.* Meminisse *autem oportet*

lectorẽ summas Alpes esse, qui hodie mons Sancti Gotthardi dicitur, ob causam mox de Lepontijs explicandam: cui Adulas mons ab ortu connectitur, continenti quidem iugo, ut summarum Alpium uelut brachium, aut si mauis, cornu, dici queat. Rhenus igitur initio ex his Alpibus sumpto, ab Orientali quidem earum parte, ubi Adulæ monti coniunguntur, populíque Lepontij habitant, duobus nascitur fontibus, unius, ut minimum, diei itinere, propter montium iuga, distantibus: Altero magis Occiduo, magísque Septentrionali, haud ita longe à Ticini fontibus, qui paulo Occidẽtaliores sunt. Ad eum AEtuatij prope (hodie Tauetsch) pertingunt. Per quorum uallem recta ad Ortum, non ad Septentrionem, ut falso ueteres credidere, currit. Hodie proprie Canini dicuntur à canis, siue Grisones, ut uulgus appellat. Oppidum Iliantum, nũc Ilantz, habent. Sub quo Glenner fluuius ex ualle Lugnitia descendens, ab hoc Rheni fonte à dextris suscipitur. Hic fons Anterior Rhenus uulgo nominatur. Altero magis Orientali magísque Australi ex Adula monte, è regione fluminis Muesæ, quod Misaucorum uallem abluit, & paulò supra Bellizonam Ticino coniungitur. Hic fons Posterior Rhenus ab accolis dicitur, sicut alter, Anterior. Labitur etiam rectà in Ortum ad insignem pagum Speluncam, deinde ad Schams, & ad Altam Rhætiam (ita nominant arcem in excelsissimo monte sitam) prope pagum Tuscanum, ubi fluuium Albellã, ab ortu contrario cursu lapsum, à dextris suscipit. Vallis insignis sub eo confluẽte est Tumiliasca. Hic ueræ Rhætiæ amœnissimus situs, hic innumera, ut nusquam aliâs uiderim, multitudo arcium fuit, quarumuestigia etiamnum uisuntur,

*pleraſq; uel bella,uel alius caſus abſumpſit.*Hæc *uitifera regio eſt.*Hic *prorſus in* Septentrionem *cõuertitur currítque* Rhenus *ad* Rhætiũ *arcem,ubi* Anteriorẽ Rhenũ *ſuſcipit,qui cũ eo in* Ortum *prope parallela decurrerat linea.*Hic *ambo iã unum flumẽ,* Rhætorũ Curiã *petunt,* & *hic quoq; ſunt ueri* Rhæti & Canini.*Curia ipſa ad* Pleſſurã *flumen,elegans ſanè oppidũ eſt.*Sub *eo* Rhenus *tortuoſior ingreſſus* Ciceres *pagum adit.*Ibi *ad* X X *millia paſſuũ rectà in* Occaſum *tendit.* Rhucãtij *(quorũ* Plinius *meminit) uallẽ obtinẽt.*Lãgarus *eſt flumen,ex* Rhæticone *mõte(cuius mẽtio eſt apud* Melam*) ortũ,* & *per* Rhæticã *uallẽ delapſum, quod hoc loco à dextris* Rhenus *ſuſcipit:mox* Lupinũ *oppidũ peruenit,* Maij cãpum *hodie uocant.*Toto *hoc tractu uitifera eſt regio.*Hic Sarunetes *(qui nominati ſunt apud* Pliniũ*) à ſiniſtris relinquit,elegantiſſimã ſanè uallẽ,quæ lacũ* Riuariũ *attingit,uulgò* Valenſe,*nos ſuperius alicubi etiam* Veſenium *nominauimus.*Hic Rhenus *inter duos monteis(*Alberg & Schalberg *uulgò uocãtur) ad* Eſtiones *rectà in* Septentrionẽ *delabitur.* Meminit Eſtionũ *diligenter lib.*I I I Strabo.*adhuc nomẽ retinẽt.*Hinc *ad locũ* Benedurũ *à dextris* Cãpum S.Petri(Feldlzilch *nominant) oppidũ ſanè elegans,aliquot millibus paſſuũ diſtans,habet à ſiniſtris* Comitatũ VVerdẽberg,Claronenſis *ditionis.* Sub Beneduro *à dextris ſuſcipit fluuiũ illum,qui è* Rhæticone *monte ortus,ac per uallẽ* Druſianã*(uulgò* VValgoeVV*) lapſus,oppidum* Feldlzilch *alluit.* Sub *hoc confluente* Ruguſcos *à ſiniſtris habet (*Rintal *nunc nominant) ditionis* Heluetícæ. Porro & Eſtionum & Ruguſcorũ *regio uitifera eſt.* Hinc *lacum* Brigantinũ,*ut* Plinius,*ac* Solinus, *uel* Acroniũ,*ut* Me-

la, uel Constantiensem Potmicámque, ut uulgus nostra ætate uocat, ingreditur. Circuitus eius lacus à Strabone lib. VII, *supra* CCC *stadia proditur, lõgitudo circiter* CC, *latitudo dimidio minor.* Nihil *hoc lacu elegantius.* Ad *caput eius* Brigantum *oppidum est. unde & nomen inuenit.* Deinde *à dextris, qua parte* Vindelici, *nunc* LintzgoeVVer, *olim habitarunt,* Lindauiũ *est in insula oppidum, cui oppido parua alia adest insula etiamnum insulæ nomen retinens, qua uelut arce ad inuadendos* Vindelicos *commodissime usus est in naualibus pugnis* Tiberius, *ut inquit* Strabo *eodem libro: non sanè illa quæ in lacu inferiore* Augiæ *nomen apud quosdam habet uulgo* RichenoVV, *quasi diceres diuitem terrã. quæ nonnunquã sicco adiri potest.* Sũt *alia item ab eodẽ latere oppida* Lãgenarg, Buochhorn, Mersburg *Præsulis Constantiensis domiciliũ,* Vberlingen *eximium oppidũ, extremo eius lacus angulo.* A *sinistris uerò & littore* Heluetico, Arbor *felix,* Acronij *cornu &* Constantia. Hîc Rhenus *è superiore lacu inferiorem lacum ingrêditur, quem* Pomponio Venetum *appellatum contendunt.* Nostra *ætas* Cellensem *ab* Radolphi *cella insigni oppido, uocat.* In *hoc lacu qui quadruplo minor est superiore,* Augia *insula est, ut diximus.* Oppidula *alia sunt ab* Heluetiorũ *parte,* Steclzborn *ad lacum: infra autem lacum & ad* Rhenũ *iam prorsus in* Occasum *cõuersum* Stein, & Diessenhoffen. *deinde* Scaphusia *à naualibus nomen habẽs, à dextris in* Germanorum *littore elegans oppidũ, à quo* Danubij *fons, qui hodie creditus, uix* XX *millibus passuum distat.* Sub Scaphusia *ad tria circiter millia passuum itinere pedestri, non autem secundũ fluminis circuitionẽ,*

est maior Rheni *cataractes,hoc est fluminis de alta rupe præcipitatio,cum ingenti strepitu & stupẽda aquarum ad scopulos collisione. Quẽ locum admodum miror,neque* Plinio,*neque* Cor.Tacito,*qui se Germaniam* Galliámque *uidisse glorientur , ne uno quidem uerbo nominatum.Eũ nos in* Panægyrico *de* Heluetijs,*ubi* Scaphusiæ *laudes canimus, his uerbis obiter descripsimus:*

Quam propius liquidi facies nitidissima Rheni
Allu*it,hic rapidus refluente in gurgite uortex*
Cer*nitur,*Eur*ipum referens,*Scyllæ*que uoracis*
Latr*atus:hic unda alti de uertice montis*
Lap*sa ruit præceps,sterilémque eructat arenam*
In *circum,sursúmque uolans portendere nubem,*
Aut *nebulæ speciem,& cœlum pulsasse uidetur.*

Sub *eo iã cataracte in se ipse propemodũ,ut de* Mæandro *scriptores referunt,*Rhenus *redit,duobus in lõgum spatium gyris, ad tubæ ductilis formam spiras faciens.*Quo *in loco cœnobiũ,hodie* RinoVV,*ubi olim magnũ fuisse oppidum fama est.*Vidẽtur *adhuc aliqua urbis uestigia,sed nõ omnino uetusta, ut puto,nulla, quod sciam,* Romanis *literis inscriptione. Quidam* Sueuorũ *principum,dũ aliquam* Heluetiorum *partem tenebãt, fuisse* Regiam *perhibent .* Paulò *inferius* Rhenis D'ur *flumen excipit,de quo in superioribus.*Hinc *rursus,ad* IIII *millia passuum in* Austrum *uersus,*Toesam *flumen à sinistris ad oppidum* EglisoVV *ditionis* Tigurinæ,*& rursus dein facto paruo admodũ arcu prorsus ad* Occasum *conuersus, paulò infra aliud flumen itidem à sinistris,*Glat *uocant,ex duobus* Ortum *lacubus,*Fesino & Gryphio *accipit.* Hinc *oppidum,* Keiserstul,*quasi dicas* Cæsaris *solium, à sinistris habet, mox*

Zurzachium nobile emporiũ ab eodem latere, multi forum Tiberij Ptolemæo dictum putant, non omnino absque ratione. Nam locus peruetustus uidetur, Collegio Canonicorũ ac Diuæ Verenæ uirginis tumulo nobilis. Quidam autem Cæsaris solium Ptolemæo forum Tiberij dictum putant, sed Zurzachium Gannodurũ. Hinc ad V millia passuũ Confluens est Rheni ac triũ fluminum siue pagorum, antea in unum sub Aquis Vindonissáque commixtorum. De hoc, ubi de pagis Heluetiorũ lib. I, satis ut puto, diximus. Hîc Rauracorum incipit tractus, cuius quatuor elegantia sunt oppida, de quibus eodem lib. I. Primum igitur VValtzhuot in latere dextro, à Confluente duo millia passuum distat, cui Silua Hartziana ab Ammiano Marcellino sic dicta, non Martiana, ut corrupti habent codices, imminet. At de hac postea plura lib. VI. Alterum inde ad decem millia passuum latere Rheni sinistro, quanquã pons bina connectit oppidula, sed maius cum arce à sinistris est. Hic minor est Rheni cataractes, nõ ita prærupta, ut superior, rupe, decliuis tamen & scopulis horridis, angustiáque memorabili insignis: nec tamen minore altitudine, si à supremo eius labro ad procellarũ ac sæuientis undæ finem supputes. Nomen inde Lauffenberg, quasi dicas, Cataractæ mons: quippe cui insignis arx imposita est. Octo millibus inde passuũ insulam facit, diui Fridolini sancti uiri, qui ante mille annos in eam uenisse dicitur, sepulchro nobilem. Tertium Rauracorum oppidum, ubi & nobilium uirginum collegium est. Nec apud me dubium, quanquam in Rauracis hic locus est, à Sequanis tamen, qui non longe inde absunt, nomen habere, non à Sacco, ut uul-

gus torsit uocem. Huic Collegio *non paruum debeo, & propter patriam meam* Claronam, *quæ illi fœderis iure multis seculis obnoxia fuit: & mei etiã causa, quòd illic ab ipso* Collegio *ac senatu sæpe honeste exceptus fuerim.* Sanè *per omnem* Rauracorum *terram* Rhenus *citatus fertur, donec ad quartum oppidũ* (Rhinfelden *appellant, quasi dicas* Rheni *campum*) *deuenerit.* Id *à sinistris habet, & ipsum elegans sanè oppidũ.* Hic *quoque aliquid* Cataractæ *simile uidetur, nullo tamen magno nauium periculo: quippe quæ cum hominibus, qui quidem uoluerint, (nam licet cuiq; paulò superius nauim exire) tuto transeant, cũ in maiore* Cataractæ *nullæ prorsus naues, in minore uacuæ per funes, aliquando & cum hominibus, sed audacibus, & uitam nihil facientibus transmittantur.* Hic *autem, ut diximus, licet transire si uelis, uulgus* Helchacken, *id est,* Tartari *uncum uocat.* Cum Rhenus *paruus, uidetur in medio eius alueus aquarũ inter rupes, quem nautæ norunt etiam turbulento amne.* Post *hoc oppidũ nihil amplius in* Rheno *tumultus est, placidus inde adhuc ad* X I I. *aut circiter millia passuũ meat, donec* Basileam *uenerit.* Ibi *uero prorsus ad* Septentrionem *cõuertitur.* Hic *itaq; uerus est* Rauracorũ *tractus, quẽ nescio nũ quisquam ante hãc ætatẽ rectè nouerit.* Qui *eũ à* Basilea *ordiuntur,* Colmariam *usque, planè errant.* Cæterũ *sub* Rinfelden *ad* I I I I *millia passuũ à sinistris* Augusta Rauracorũ *fuit, in humilem hodie redacta uicũ.* Visuntur *adhuc ueteres ruinæ, turriũ, cloacarũ, pyramidũ, numismata plurima aurea, argẽtea ac ærea: ab* Hunis *uulgò creditur diruta.* Alij *malunt ab* Alemannis *sub* Valentiniano *tertio euersam.* Totus *ferme* Rauracorũ

tractus hodie ditionis est Ducũ Austriæ. Terminantur *autem ad* Byrsam *flumen, quod* D. *circiter passibus supra* Basileam *à sinistris* Rhenus *excipit.* Nã Basileam *ego in* Sequanis *constituo: attingunt enim* Sequani *ea parte* Rhenum, *ut libro primo inquit* Cæsar. Sungoij *hodie haud dubie pars sunt* Sequanorũ. Hæc hactenus *de* Rheno *certa ac uisa potissimũ hac de causa retulimus, quòd plurimum à ueteribus neglecta, à recentioribus non satis diligenter, imo nec uerè tractata uiderimus.* Reliqua *deinde à* Basilea *ad finẽ usque fluminis, etsi pleraq; nobis uisa sunt, uerũ quòd id à multis annis factũ, nec ita recenti sunt nobis memoria, tũ quòd ab alijs diligentius quàm superiora quæ nũc diximus, tradita, consulto omittantur.* Nã *quod ad hunc attinet locum, satis nobis dictum uidetur.* De *ostijs eius (ut hoc lectori uelut parergon adijciamus) uaria est apud auctores opinio.* Vergilius *bicornem* Rhenũ *uocat* VIII *Æneidos, quòd duo sint eius ostia.* Plinius *lib.* IIII, *cap.* XV, Helium *ac* Fleuum *uocat.* Cæsar *alterũ quod* Mosam *accipit,* Vacalon, *quam hodie* Valim *uocant: alterũ uero neutiquã nominat, olim* Rheni, *ut quidam putant, hodie* Lecæ *nomẽ habet.* Sed *audiamus duorũ hac de re auctorũ uerba.* Pomponius Mela *eodem quo iam diximus loco, hæc continuo subnectit uerba:* Sed *ad sinistrũ, inquiẽs, amnis etiã tum, & donec effluat,* Rhenus: *ad dextrã primo angustus, & sui similis, pòst ripis lõge ac late recedentibus, iã non amnis, sed ingens lacus, ut cãpos impleuit* Fleuo *dicitur, eiusdémq; nominis insulã amplexus, fit iterũ arctior, iterúmque fluuius emittitur.* Hæc *ille.* Quæ *uerba, si sinistri ac dextri nominibus utitur cõsueto modo, ut hoc* Germanicum, *illo*

Galliam latus designet, Valim Rhenum uocat, alterũ autem ostium Fleuum. Cornelius autem Tacitus Augustæ historiæ lib. II, Rhenus, inquit, uno alueo continuus haud modicas insulas circumueniens, apud principiũ agri Batavi uelut in duos amnes diuiditur, seruátque nomen & uiolẽtiam cursus, qua Germaniam præuehitur, donec Oceano misceatur, ad Galliam ripam latior, & placidior affluens, uerso cognomento Vahalim accolæ dicunt, mox id quoque uocabulũ mutat Mosa flumine, eiúsque immenso ore in Oceanum effũditur. Hæc ille. Quibus uerbis Melæ contrarium indicat: nempe Septentrionalius ostium Rheni cognomine dictum: alterum Vahalim, quod Cæsar Vacalon, siue (ut alij habent codices) Valim uocat. Memini ante annos XII cum ea de re D. Erasmo, ut ad Rheni ostia nato auctorũ uerba proposuissem, casu ei colloquio interuenisse ex Belgis uirum eruditum, recens ex Italia profectum, Antoniũ (cognomen, quod uehementer doleo, non teneo) artis medicæ professorem. Hic cum audiret mirari me auctorũ tam uarias opiniones de ostiorum Rheni cum numero, tum nominibus, Glareane (ultro inquit) uideo quid erres: Rem, si gratum tibi putes, breuibus expediam. Imo percupio, inquam. Tum ille, Tertium, inquit, Rheni ostium, quod hodie Isela dicitur, Ptolemæo, & nescio quibus alijs celebratum, id uero antiquitus non fuit. Sed Drusi aduersus Germanos bellantis iussu, fossa in mare deducta factum est, ut munimentũ aduersus barbaros esset. Atq; ideo Ptolemæo tria sunt Rheni ostia, quæ ueteribus duo. Hæc cum audissem acquieui: uerum quid idem de nominibus sentiret, ut interrogarem, in mentem non uenit, nec tum id agebam. Cæsari hercle ea de re nihil certi

constitit. Vbi Oceano, inquit, appropinquauit, in plures diffluit partes. Et rursus paulo pòst concludit, Multísque capitibus in Oceanum influit. per caput, ut opinor, ostium intelligens: per partes, brachium, ut uulgò loquimur. Sed huius parergi etiã nunc plus quàm satis.

Ex Lepontijs.

De hisce sanè populis, quando ex Geographis nihil certi nostra ætate scire potuimus, partim quæ uidimus ipsi, partim quæ Tschudus noster diligenti cura in dicto toties libro promit, lectori aperiemus. Plinius lib. III, Lepontios, inquit, ac Salassos Tauriscæ gentis, idem Cato arbitratur. Cæteri ferè Lepontios relictos ex comitatu Herculis interpretatione Græci nominis credunt, præustis intra sinus Alpium niue membris. Hæc ille. Catonis opinionem comprobat linguæ usus apud eos Lepontios apud quos Rhenus oritur. Cæterum in uniuersum hoc sciendum, Lepontios latissime olim dispersos fuisse, & in circũ summas Alpeis occupasse. Primum enim ad earum ortum Lepontij sunt, qui Gallica adhuc, qua hodie Heluetij, utuntur lingua, apud quos Australior Rheni fons oritur, ut dictum est. Ad earũdem autem Meridiem, quicquid inter Bellizonam, ac montem S. Gotthardi est, uulgus Leuontinam uallem uocat, Vrorũ hodie ditionis. Per eam uallem amnis Ticinus à summis ortus Alpibus, ut antè diximus, fluit. Ad Occasum earundem habitant Lepontij, quos Plinius Viberos uocat, apud quos Rhodanus oritur. Et hi quoque nũc prisca Gallica utuntur lingua. Denique ad Septentrionem ad Vrsam flumen pulcherrima ualle, Vrsula huic nomen est, Lepontij habitant: & hi Galliçam etiamnum habent linguam, Pto-

lemaeus Lepontiorum *oppidum* Oscelam *ponit.Cuius hodie quoque nomen in ualle manet, amne* Tosa *irrigua,qui amnis ex summis oritur* Alpibus,*ut* Ticinus. Oppidũ *infima ualle iacet, hoc tempore à* Canonicorũ Collegio Domno de Oscelo *ab* Italis *dictum.*Longe *sanè ab* Ocelo *oppido,cuius* Cæsar *in primo meminit,quod ad* Duriam *minorem est,ut antea diximus.* Multas *alias præterea ualles habuerunt* Lepontij, *de quibus multa erudite* Tschudus *noster.* Apud *eos sanè septem oriuntur flumina,ut antea dictum est,in omnes mundi partes præcipitata.* Ipsi Lepontij *medij sunt quinque horũ populorũ,*Rhætorum, Insubriũ, Salassiorum, Sedunorum *ac* Heluetiorum.Rhætos *quidem ab* Ortu, Insubreis *ad* Meridiem, Salassios Sedunósque *ad* Occasum, Heluetios *ad* Septentrionem *habent, nec poterit circino melius eorum describi regio.*

Per fines Nantuatium.

Nantuates *qui hodie sint,non planè constat:quanquam sunt qui* Constantienses *uelint.*Hoc *certum est ex ordine* Cæsareæ *descriptionis, regionem inter* Lepontios *ac* Heluetios *secundum* Rhenum *designari.*Quando *autem* Cæsar Rhætorum *nomen nusquam habet, oblata toties nominandi occasione,* Tschudus *existimat non esse dubium quin per* Nantuates Cæsar Rhætos *intelligi uoluerit, quod ego quoque credo.* Fieri *autem potest,ut* AEtuatium *scriptum fuerit,quod in* Nantuatium *deprauatum fuerit.*Codices *enim quidam* Mautuatiũ *habent.* Sũt *autem* AEtuatij *ad* Ortum *citerioris fontis* Rheni,*ut in descriptione eius iam diximus.*

Mediomatricum.

Mediomatrices *hîc tertia dicit declinatione, quod*

lib. septimo secunda, ut Plinius *eũ secutus.* Verũ *eiusmodi multa reperias, quemadmodum plus quinques uariatum* Teutones *&* Teutoni *apud hunc auctorẽ.* Tale *etiã uideri poterit* Vocates *&* Vocatij, *& quos* Cæsar Tarusates, *alij* Tarusatios *uocant. de* Santonibus *siue* Sãtonis *etiã alibi admonuimus, nec opus pluribus.* Mediomatrici *igitur consistunt ad* Mosellã *fluuiũ, quorum olim imperiũ* Rhenum *usque pertingebat: hodie eximiũ oppidũ habẽt* Metas. De Tribocchis *lib.* I. *admonuimus.*

Ex *quibus sunt, qui piscibus atque ouis.*

Videtur Selãdiæ *insulas designare, quæ hodie sunt è regione* Flandriæ, *ostiorum* Rheni *&* Hollãdiæ, *sed nequaquam à feris gentibus habitatæ. quidam* Cymbrorum *insulas faciunt, quibus nos non subscribimus.*

Se *trans* Rhenum *in fines* Sicambrorum.

Sicãbri Trãsrhenani *populi sunt in* Germania *apud* Cæsarẽ, *hodie* Vestphaliæ *pars, non autem* Geldrensses, *cum* Geldria *hodie tota cis* Rhenum *sit in* Gallia. Sicambros *sanè* Trãsrhenanos *non* Cæsar *tantũ, sed* Ptolemæus, Strabo *&* Tacitus *commemorãt.* Quidam *ut* Suetonius *ac* Florus, *aiunt posterioribus temporibus in* Germaniam *traductos, sed nos de tempore* Cæsaris *loquimur, ac de hoc loco.*

Hæc *utraque, insuper bipedalibus trabibus.*

Antequam *ad hæc* Cæsaris *uerba deueniamus, hoc lectorẽ præmonere uolumus, placere mihi* Iucundi *picturã, quæ pleraq; Cæsaris uerba luculẽter exprimit, exceptis ijs quæ* Cæsar *de sublicis ita describit.* Ac *nihilo secius sublicæ ad inferiorẽ partẽ fluminis obliquæ adigebãtur, quæ pro ariete subiectæ, & cũ omni opere coniũctæ, uim fluminis exciperẽt, & aliæ itẽ supra põ*

tem,&c. Hodie solent pilis lapideis trabes præfigere, ad excipienda omnia quæ temere fert flumen. Quæ uerò ad inferiorē fluminis partem obliquæ adigebantur, mihi non omnino intelliguntur. Et unde num, Ariete subiectæ, dictum sit, pro fulcimento. Nunc ad proposita Cæsaris uerba ueniamus, quæ in Annotationibus meo quidem iudicio, Iucundus corrūpit, non emendat. ea enim in Cæsaris commentario bene habent. Sed distinguendum est post, utraque, quod uerbum in nominandi casu dictum est, non accusandi. & construitur cum uerbo distinebantur: & insuper dictum quasi desuper, ut sit hic sensus: Hæc utraque supple tigna sesquipedalia, paulum ab imo præacuta, &c. distinebantur ab extrema parte binis utrinque fibulis, insuper bipedalibus trabibus immissis, quantum eorum tignorum iunctura distabat. Nec uideo quid difficultatis uisum sit Iucundo.

IN C. IVLII CAESARIS COMmentariorum de bello Gallico librum V, Hen. Glareani annotationes.

ANNVS ab urbe condita hic fuit septingentesimus. Sunt autem in hoc libro, motus Illyrici & Treuirorum, Dumnorigis Hedui mors, Cæsaris profectio in Britanniam, atq; illic uariæ pugnæ, Britanniæ descriptio, diuisio exercitus in hiberna, Ambiorigis dolus, Sabini & Cottæ legatorū Romanorum mors, Oppugnatio Q. Ciceronis legati apud Neruios, Cæsaris prælium cum Neruijs, Cōcilia Gallorum, Induciomari Treuiri mors à Labieno illata.

Magis magnos ibi fluctus fieri, & caetera.

In alijs codicibus legitur, Minus magnos ibi fluctus fieri. atque ea lectio mihi probatur, propter & praecedentia & sequentia de nauiū humilitate uerba. Sed uideat lector num uerisimile sit aestū maris minuere fluctus, ut in Oceano quàm in mari nostro sint minores.

Has omnes actuarias imperat fieri.

Actuariae naues à celeritate dictae, quòd facile agi possunt.

In Illyricum proficiscitur quod à Pirustis.

Pirustae populi in Illyrico, ut ait Caesar, & meminit Strabo lib.7. Ptolemaeus Dalmatiae ascribit. Verū Dalmatarum, Illyricorum, & Lyburnorum fines ab auctoribus non ita certi ponuntur.

Atque omnes ad portum Icium.

Ptolemaeus Icium promontoriū in Morinis ponit, & Caesar priore libro de eodem, ut opinor, portu ait, ex Morinis breuissimum esse transitum in Britanniam. Quidā etiam opinantur Caletum oppidū, hodie ditionis Angliae, esse hunc portum, & Caletos sub Morinorum fuisse imperio. Strabo lib.4, ait Icium portum distare à Britannia stadijs 320. quae facerēt milliaria 40. si octona stadia in mille passus supputabimus.

In siluam Arduennam.

Arduennam siluam Marlianus satis luculenter describit: hodie attingit Leucos, & Lothoringiam, comprehendítq; uastum regnum, uulgo VVestrich: quod tamen potius ab Occidēte (Germanice Vest) nominatum uidetur. Pertingit ad Lucemburgam, Vbios, Menapios, Neruios. Caeterum hodie ingentes Abbatias habet, & arces praedonum. Nec est maior hac in tota Gallia silua.

Quæ in Meldis factæ erant.

Meldæ Meldarũ, ciuitas est ad Matronam *flumen, decem leucis supra* Lutetiã. *Episcopũ habet proprium, uulgo* Meaulx. *Quidã tamen* Belgis *legunt, nõ* Meldis.

Quæ cum annotinis.

Annotinæ naues sunt, quibus annona uehitur.

Ac belli inferendi causa ex Belgio.

Alij codices ex Belgis *habent: quod non displicet. quanquam si* Belgio *legatur, ad eã formam dixisse uideri potest, ut* Liuius Samnium *pro* Sãnitium *regione, ita* Belgium *pro* Belgarum *regione. Verũ pro urbe aliqua in* Belgis *uidetur paulò inferius accipere, ubi exercitu in hiberna diuiso tres legiones in* Belgio *constituisse dicitur. Quippe aliæ legiones etiã in* Belgis *erãt, ut quæ in* Neruijs, *quæ in* Rhemis, *denique quæ in* Morinis. *Adijcit* Marlianus *in* Bellouacis *esse hoc oppidũ. Atq; ita uidetur accepisse auctor octaui libri huius belli, in exercitus distributione, & ubi* Nemetocernæ *meminit. Sunt in* Britannia Atrebates, *ut in* Belgis, & *alij etiam populi* Gallicis *nominibus.*

Insula natura triquetra.

Hæc descriptio cum Ptolemaica *pictura minime cõuenit, sed satis bene cum nostræ ætatis formulis. Respectum tamen laterũ nimis large usurpauit. quod enim latus* Occasui *obiectum ait, aliquo pacto ita habet: sed quod* Septẽtrioni *obiectum perhibet, id nõ minus* Oriẽti *soli expositum est latus, quàm* Septentrioni. *Nec triãgulum aliter quadrato comparabis.*

Omnes uero se Britanni *Glasto.*

Glastum, herba est plantagini similis, de qua Plinius *lib. 22. cap. 1.*

At illi intermisso spatio.

Ego de intermisso temporis spatio, non loci aut campi, intelligendum puto.

Atque his primis legionum, &c.

Primæ cuiusque legionis cohortes erant maximæ & prævalidæ.

Equestris autem prælij ratio, &c.

Hæc uerba, si ad priora comparabis, oppidò obscura sunt. nescias enim de quibúsnam loquatur, Romanísne an hostibus, an de utrisque.

Interim Trinobantes.

Hi apud Ptolemæũ, ut existimo, Trinoantes dicũtur. Reliqua hîc populorũ nomina Gallica existimo lzuenman, Sengerer, Anclzen lût, Bibrogger, Gasserer.

Conciliόque Gallorum Samarobrinæ.

Samarobrinam Ptolemæus nominat Samarobrigam in Ambianis ad Phrudem fluuium, alij tamen Cameracensem urbem, alij oppidum Diui Quintini in prouincia Remensi putant.

Tertiam in Essuos L. Roscio.

Essui qui certò sint, non planè constat. Cæterũ Armoricis ciuitatibus propinqui ex uerbis Cæsaris intelliguntur paulo pòst, ubi Roscium oppugnare Armoricæ ciuitates constituerant.

Cum celeriter nostri arma cepissent, & uallũ.

Hic locus Vatuca, siue (ut alij legendum censent) Ratuca dicebatur, in medijs Eburonum finibus, ut postea dicetur lib. VI.

Et numero pugnandi pares nostri.

Sequentia indicant multo plures hostiũ fuisse quàm Romanorum. Ideóque lectori examinandum est quod

hîc Cæsar ait,Numero pugnandi pares nostri,num pro Numero legendum forsitan,Animo.

Qui superiore anno primum pilum duxerat.

Primus Cẽturio,nunc Primipilus appellatur, inquit Liuius lib. 7, ad finem. Prima etiam centuria,primus pilus uocabatur,quo modo Cæsar hîc usus uidetur.

Itaque confestim dimissis nuntijs ad Cẽtrones.

De horũ populorũ nominibus nihil aliud constat, quàm Neruiorũ subditos fuisse. Leuacos autẽ esse qui hodie Louanienses dicuntur, & alludit uulgata appellatio, quæ ait Louen. Centrones quibusdam Sentron.

Quæcunque ad proximi diei oppugnationem.

Quia Galli oppugnabant, Romani defendebant, hæc uerba de Gallis dicta uideri poterant: sed secus ostendunt sequentia omnia: nisi quis putet aliquid esse historiæ.Ego itaque omnia de Romanis intelligenda existimo.Nec obstat oppugnationis uerbum,quippe ad quam non minus Romani se parabant atque hostes,ut sequentia indicant.

Magnus muralium pilorum numerus.

Pila muralia erant hastulæ quibus pro defendendo muro utebantur in hostes.

Sagulísque terram exhaurire.

Sagulum indumentum erat militare: hoc igitur loco,quia corbes deerant,terram in sagulis ferebant.

Decem millium passuum in circuitu.

Alibi legitur Quindecim millium pedum,qui faciũt tria milliaria,si quidẽ quinos pedes pro passu supputabimus.Sanè libro secundo Aduaticorum oppidũ à Cæsare circumuallatum narratur,haud dubie longè maius oppidum quàm hoc Ciceronis castellum,ubi tamen

quindecim milliū passuum haud amplius mentio est. Et libro septimo Alexiæ illam laboriosissimam latissimámque circumuallationem Cæsar ait fuisse undecim millium passuū. Quare hic locus merito suspectus est.

Paululum quidem intermissa.

Hic locus notabilem habet obscuritatem. Néscias enim hostiúmne turrim, an Romanorum, flamma contigerit: & si Romanorum, ut uidetur, dubiū est quínam deturbati sint lapidibus.

Has ille in iaculo.

Verisimile est Cæsarem tunc Samarobrinæ fuisse, Crassum autem in Belgio.

Iubet media nocte legionem.

Vide num legendum sit legiones: duæ enim erant in Belgio, & sequentia eam lectionem exposcunt.

Legionémque ei attribuit.

Vel duas legiones adduxit Crassus, uel Cæsar antea unā habuit legionem. Duabus enim postea uenit in Neruios, cōnumerata etiā illa, quæ in Morinis fuerat.

Hanc Græcis conscriptam literis.

Libro horū Cōmentariorū primo Cæsar, In castris, inquit, Heluetiorū tabulæ repertæ sunt literis Græcis confectæ, & ad Cæsarem delatæ, &c. Rursus lib. VI, ubi de Druidum disciplina ac discipulis: Neque fas esse, inquit, existimant ea literis mandare, cū in reliquis fere rebus publicis priuatísq; rationibus Græcis literis utātur. Hic uerò epistolā Cæsar Græcis conscriptam literis, per Gallorum exercitum ad Ciceronem mittit, ne intercepta epistola, inquit, nostra ab hostibus consilia cognoscātur. Quidā excusant, quòd Galli literas quidē Græcas habuerint, quibus Gallicam, hoc est suam, non au-

tem Græcam ſcripſerint linguã. Atqui Cæſar hîc, non Græca conſcriptam lingua ait, ſed Græcis literis: quod aperte cũ prioribus duobus locis pugnat. Ad quæ ego, ut liberè quæ ſentio dicam, ita reſpondeo, Tempore Cæſaris mihi non uideri linguam Græcam apud Gallos in ullo fuiſſe uſu, literis tamen Græcis, quibus Gallicam, non Græcam ſcriberent linguam, utique uſos, quemadmodum nũc magna Europæ portio Latinis ad ſuã quiſque linguam pernotandam utuntur, atque ita intelligendos, quos iam diximus, locos. Hîc uerò prorſus exiſtimo Cæſarẽ uerbo Literis, uſum pro Lingua: & Q. Ciceroni nõ characteribus tantũ Græcis epiſtolã ſcripſiſſe, ſed uerbis etiam Græcis compoſitam. Nam Q. Ciceronem Marci fratrem Græcè ſciſſe, non eſt mirum, cum ea tempeſtate omnes, qui quidem alicuius erant exiſtimationis, Græcè nouiſſe ſatis conſtet. Quod de Maſſilienſibus obijcitur à quibuſdã, nihil probat: poſt Galliã enim domitam & Romani iã imperij factam, tum demum Galli apud Maſſiliẽſes philoſophari cœperũt, ut egregie diſſerit Strabo lib. IIII. Hoc uerò tempore ignoti erant Maſſilienſes Gallis, maxime Belgis, apud quos Belgas forſitan, ne literæ quidem Græcæ, ſecus atque apud Celtas & Maſſiliæ uicinos, notæ fuerunt.

Tamen Senones (quæ eſt ciuitas, &c.

Senones populi ſupra Pariſios ad Sequanam flumen oppidum incolunt, quod hodie Archiepiſcopatum habet: Cui ſuffraganeus eſt Pariſiẽſis. A quibus fuere iſti Senones orti in Ciſalpina Gallia, qui duce Brenno Romam incenderunt, anno ab Vrbe condita CCCLXV.

Quod qui uirtute belli omnibus, &c.

Hoc etiam ad finem Iugurthini belli teſtatur Salluſtius,

Romanos ita habuisse cum omnibus gentibus pro gloria certare, cum Gallis pro salute.

IN C. IVLII CAESARIS COMmentariorum de bello Gallico librum VI, Henrici Glareani annotationes.

HIC est annus ab Vrbe cõdita DCCI. COSS. Cn. Domitio Caluino, & M. Valerio Messala. Continentur autem in hoc libro hæc ordine, Bellum in Neruijs, Senonibus, Carnutibus & Menapijs per ipsum Cæsarem, & in Treueris per T. Labienum gestum. Deinde ut Cæsar in Germaniã ad Vbios profectus sit. Tum mores Gallorũ & Germanorum, Siluæ & bestiæ in Germania describuntur, & ut Cæsar persecutus sit Ambiorigem, ac Eburones diripuerit. Continetur & oppugnatio præsidij Romani in Ratuca oppido Eburonũ, ubi priore anno Sabinus & Cotta hiberna habuerant, quæ quidem oppugnatio facta fuit per Sicambros Germanos.

Duplicatóque earum cohortium numero.

Tres legiones triginta habebant cohortes. Titurius autem quindecim amiserat: duplicatus igitur hic est amissarum cohortium numerus per tres legiones. Quare nunc decem legionibus pugnat Cæsar.

Adiunctis Cisrhenanis.

In littore Gallico Germani occupauerunt multam regionem, ut ex 2. libro patet, & in Ptolemaica item descriptione.

Concilium in Lutetiam Parhisiorum.

Parhisij, ad confluentem Matronæ & Sequanæ ur-

bem habent Lutetiã *quatuor millibus passuũ sub eodẽ confluente:quæ hodie eius regionis metropolis est.*

Siluam esse ibi infinitæ magnitudinis.

De Bacæni *silua non rectè sentit nostra ætas, quæ eam putat esse quæ hodie uulgò* Nigra *dicitur,ab qua* Bacænis *plus mille & centum stadijs distat.* Id *autem quomodo ex ipso* Cæsare *quis certo deprehẽdere queat, etiã atque etiã lectori considerandum est.* Et *primum quidem* Vbiorũ *situs tempore* Cæsaris *notandus:quem constat fuisse tum sub* Treueris *rectà ad* Rhenũ, *in* Ger*mania tamen.*Deinde *rectà ad* Orientẽ *&* Septẽtrio*nem,*Sueuos *in* Germania *sedes habuisse,ut antè dictũ est.*An *autem tempore* Cæsaris Rhenũ *attigerint* Sueui, *quod* Strabo *ac* Ptolemæus *scribũt,uehementer dubito.* Certe *ex* Cæsare *satis patet.*Bacænis *igitur silua hodie* Turingica *dicitur,siue* Harto Saxonicus.*quidam etiam* Picariam *uocant siluam,quæ tamen* Herciniæ *sit uelut ramus aut cornu, ut nostra ætate quidam scripserunt.*Cherusci *autem ad* Albim *fluuium sunt.*Quidã *ad* Confluẽtem Salæ *&* Albis *urbem eos(cuius etiamnum manet nomen* Cerbst*)habuisse tradunt.*

Agriculturæ non student.

Non *admodum cõuenit hoc cũ ijs quæ ab initio libri quarti de* Sueuis *scribit* Cæsar *his uerbis:*Sic *neque agricultura,neque ratio atque usus belli intermittitur.*

Circum Herciniam siluam.

Herciniæ *siluæ optimi & maximi quiq; auctores cum* Latini,*tum* Græci *meminere.*Põponius Mela,*qui eadẽ ferè cum* Cæsare *disserit.*Strabo *lib.7,aliquantũ diuersa.*Plinius *item multis in locis.* Eius *cũ sint haud dubie lata cornua & uarij tractus, ipsa tamen intra*

Germaniam, quod ad Occasum & Meridiem attinet, continetur. Ideóque Arduennam siluam, ut illius partem, neutiquam annumerauerim, quod quidam nostra ætate temere, meo quidem iudicio, fecêre. Vix etiã Bacenim eius existimem partem. At Bohemiæ siluas, & quæ inde in Sarmatas inter Orientem ac Septentrionem sequuntur, sanè connumerauerim. Nam & Ptolemæus Marcomãnis uicinam statuit Herciniam, etiamsi is quem Cæsar hîc describit, tractum in multas secauerit partes, nempe in Eremum Heluetiorum, Gabretam siluam, Lunæ siluam ac Orciniam. At Semanam siluam, Abnobios montes, ac Melibocum nimis remotos puto, Sudetas fortaßis admisero mõtes. Ex uerbis autem Cæsaris planè patet, quàm latè olim longéque patuerit. Caput enim eius est quæ à resina nomen habet, Hartzuuald. Hartz enim uocant resinam & Galli & Germani. Nũc uulgo corrupto natiuo uocabulo Schuuartzuuald appellant, quasi dicas Nigram siluam. Apud Ammianum, & post eum auctores aliquot, silua Hartiana dicitur (quanquam Hartziana scribi oportebat) quod nomen aliquis sciolus ac Germanicæ Gallicæque linguæ ignarus, ut Latinè quid sonaret, in Martianum temere mutauit: nisi (quod & ipsum fieri potuit) quis existimet cum Romanis interrogantibus eius siluæ nomen, responsum esset, Hartzuuald, relicta uoce VVald, quæ siluam significat, ad alterum uerbum, quod resinam significat, Romanos animum intendisse, ac Hars pro Hartz scripsisse. deinde, uel ut in ipsorum quoque lingua aliquid tinniret, uel literarum M ac H uicinitate ex Hars factum esse Mars, ac inde Martianum pro Hartzianũ incre-

buisse apud indoctos. Illud opinor nemini dubium, nomen esse Germanicum, Galliciimque, non Romanum. Ideóque ego ubique apud Ammianum cæteróśque qui eius meminerunt, Hartzianam legendum existimo, nō Martianam. Huius autem Hartianæ siluæ partem existimo, ut iam diximus, Heluetiorum Eremum à Rheno ad Nicrum usque amnem. Cornelius autem Tacitus, Inter Herciniam (inquit) siluam Rhenúmque & Mœnim amnes Heluetij, ulteriora Boij, Gallica utraq; gens, tenuere. Quæ uerba si ad amussim discusseris, inuenies Cornelio neque regionem, ubi hodie Virtenbergensis Ducatus est, neq; quæ ad Danubij ortum est, inter Heluetios & Nicrum amnem, satis notam fuisse. Nam Heluetios omnia inter Rhenum ac Mœnim amnes tenuisse, mihi non fit uerisimile: sed à Rheno ad Nicrum amnem, quæ hodie non pœnitenda est natio. id enimuero satis uerisimile fuerit. Verum, ut Lectorē magis excitē, quis hæc Taciti uerba intelliget? Inter Herciniam siluam, Rhenúmque, & Mœnim amnes: Cum totum spatiū inter Rhenum & Mœnim occupet Hercinia silua secundum Cæsaris descriptionem, cui non paulò plus quàm Cornelio fidei tribuo. Nisi intelligamus, quæ hodie Nigra silua dicitur secundum Rhenū, eam solam à Cornelio dici Herciniam. Sic enim inter eam, Rhenúmque & Mœnim amnes natio immensa intelligeretur, ipsa Heluetiorū etiam regione longe maior. Contineret enim quicquid terræ est inter Scaphusiam, Noricam urbem, Erebipolim ac Heidelbergam. Verum neque Herciniam ita à Cornelio accipi puto, neque unquam Heluetios tantum terræ possedisse. Nisi quis obijciat tempore illo omnia uasta fuisse à Rhe-

no, urbem usque Noricam, *itaque* Heluetios *uerè* Ere-*mum possedisse,ac deinde* Boios *ulteriora eiusdem loci occupasse,ubi hodie* Boemia *est: lector quod uolet sequatur: ego planè in ea sum opinione,* Romanos *scriptores in omnibus hisce locis describendis sæpe uulgi famam secutos,ac incomperta pro compertis,quemadmodum de remotissimis regionibus temere mentiendo fieri solet, tradidisse.* Vt *quid enim* Cornelius *nec lacus* Acronij, *nec* Cataractarum *Rheni meminit, nisi quia non nouit?* Certe *ipse* Tacitus, *quantumuis tacitus,imò loquacissimus auctor,ut eum* Tertullianus *uocat,haudquaquã taciturus fuerat,ut mea fert opinio, si ea comperta habuisset.* Idem *ille quàm frigide* Rheni,*quàm frigide* Danubij *fonteis,quàm deinde longe frigidius ipsorum fluuiorũ tractus describit,quod luculẽtum argumẽtum est,ea illi neutiquam fuisse nota.* Eremum *igitur* Heluetiorum,*quicquid dicat* Tacitus,*inter* Rhenũ *ac* Nicrũ *amnes fuisse puto.* Sed *hæc de* Eremo Heluetiorum *ac silua* HartZiana. Scio *quosdam esse,qui sedium mutationes apud* Cornelium *ita intelligerẽt,quasi* Galli *prorsus relicta sua terra sedes mutauerint.*Sed *his uerbis* Cæsaris,*quibus* Cornelius *innititur,facilè cõuincuntur.*Cæsar *enim ubi de hac quam* Cornelius *hîc repetit,habitationũ mutatione disserit,ait,* Virtute Gallorũ *factum, ut trans* Rhenũ *colonias mitterent,ac continuò* Volcarũ Tectosagum *exemplũ subiungit.*Vnde Cornelius *simile exemplum adducturus,* Heluetios *ac* Boios *idẽ fecisse commemorat. quis enim crederet* Heluetios *sua(quæ,ut auctor est* Cæsar,*melior erat)relicta terra,in uastitatem illã ac ingentẽ solitudinem totos migrare uoluisse?* At *colonias duxisse satis*

uerisimile fuerit: sicut contrà & prioribus & posterioribus seculis Germanos *in* Gallias *quoq; duxisse cōstat.* Hercinia Romanis *aspiratur, sic apud* Græcos *in emendatioribus saltem codicibus, & sanè* Germanicus Galliciſque *sermo aspirationem postulat.* Eratosthenes *quartam uocalem* Orciniam *prima syllaba notasse uidetur: quod in* Strabone *per secundam, ut* Latinis, *scriptum reperias.* At Gallorum Germanorúmque *lingua per primam uocalē* Hartz *uocat* Resinam, *nisi quod* Germanorum *quidam crassius* Hortz, *per quartam* Latinorum *uocalem.* Vnde Eratosthenes Orciniam *fortassis mutuauit.* At Hertz *per secundam uocalē* Gallis Germaniſq; Cor *significat.* Qui *ergo* Hartzianam *siluam scripserunt, melius* Germanicam *linguam expresserunt, quàm qui* Herciniā. Græcis *quidē ac* Latinis *parum curæ fuit nostra lingua, quam illi maxime tamen* Romani (*adeò* Gallorum *uirtutem oderant*) *quasi data opera opprimere conati sunt.* Quotum *enim quodque nomen uel urbis, uel fluuij, uel populorum etiam, quod uerè* Germanicum Gallicúmue *dicere queas, apud* Geographos *reperias?* Cui *autem dubium* Germanicis, Galliciſque *locis,* Germanica Gallicáque *fuisse nomina?* Plinius *ingens antiquitatis amator, mire* Galliçam *linguam suspexisse uidetur: nempe qua olim maior* Occidentis *pars locuta est, præterea tota* Gallia Cisalpina, *in qua ipse natus erat.* Sed *dij boni quàm corrupte apud eum legūtur nomina, ut aut* Delio *natatore, aut* OEdipo *aliquo cōiectore sæpe opus fuerit, qui ea expiscari uolet.* Multa *tamē & apud hūc & apud alios auctores* Tschudus *noster hac ætate feliciter eruit: & erunt, ut spero, post nos idem molien-*

tes, ut quod reliquum adhuc eius linguæ apud Helue*tios, alióſque* Rheni *quoſdam accolas, uerè* Gallicæ, *uerè antiquæ, ſuam apud homines exiſtimationem ac maieſtatem recuperet: cùm hodie trium nationum* Italiæ, Hiſpaniæ, *ac* Franciæ *lingua, ſit fragmentum* Latinæ *linguæ, ſed tantò pluris, quantò magis integritati* Latinæ *linguæ appropinquat. Qua in re* Italica *hodie* Frãcicæ *præfertur.* Sed *de hoc negotio obiter hîc.* Illud *apud me nondum certum, quàm probem illud y in* Hercynia, *quod multi per i ſcribunt.* Magis *etiam hoc mirandum apud* Senecam *in* Medea *eam ſyllabam productè legi, in hoc* Senario

Lucis Sueui *nobiles* Hercineis.

Apud Claudianum *uero inſignem poetam, correptè, quem ferme ab aliquot ſeculis nunc imitantur,*

-*ſublimis in* Arcton
Prominet Herciniæ *confinis* Rhætia *ſiluæ,*
Quæ *ſe* Danubij *iactat* Rhenique *parentem.*

Hoc *etiam in uerbis* Cæſaris *notatu dignum, pro* Nemetum Althamero *legendum uideri* Venetum, *ut intelligantur* Veneti *ad* Lacum *inferiorem* Acronio, *quẽ hodie* Cellenſem *nominant, uiginti millibus paſſuum plus minus, ſupra maiorem* Rheni Cataracten. Nomen *eſt apud* Melam, *ut ſuprà de* Rheno *retulimus.* At *lector cogitet, num putet nomen* Veneti Lacus *notũ fuiſſe* Cæſari. Mihi *quidem non uidetur, maxime ea de cauſa, quòd* Acronij *lacus longe maioris quàm* Veneti, *non meminerit.* Vnde *quidã fuere, qui* Rhætorum *pro* Nemetum *legendum exiſtimarint.* Sed *ne id quidem nominis* Cæſari *notum fuiſſe putat* Tſchudus, *cum nuſquam ipſe* Rhætorum *meminerit oblata toties nomi-*

nandi occaſione, maxime lib. IIII *ubi* Rheni *ortũ deſcribẽs, populos commemorat, per quorũ fineis* Rhenus *labatur: ibi in eius ſupremo* Lepontios *collocat, deinde* Nantuates, *per quos forſitan* Rhætos *intellexit.* Nã *continuo* Heluetios *ſubiungit: niſi quis eo in loco, ut diximus,* AEtuatiũ *legere pro* Nantuatiũ *uelit.* Quod *ſi cõceſſerimus, certè id nominis etiam hîc ponendum cenſeo.* De Danubio, *quando eum alij diligenter deſcripſerunt, ut ex nauigatione mea didici, hoc unum annotare dignum eſt uiſum operæpretium,* Non *temere eſſe, quod ueteres auctores de monte* Arnoba *ſcripſerunt, & mihi uehementer ſuſpectum fontem illum quem hodie in uico* Duneſchingen *oſtendunt, cum duo alia ſint flumina multò altiora origine, illo quidem quem oſtendunt fonte.* Cæterum *unde in hanc uenerim cogitationem, non grauabor dicere.* Cum *olim* Baſileæ *publicè* Herodotum *auditoribus meis prælegerem, admodũ admiratus cur is non uno in loco diceret apud* Celtas *oriri* Danubium (Iſtrum *ipſe nominat) magíſque adeò* Ariſtotelem, *qui in* Meteoris *ex* Pyrenæo *monte eum labi memoriæ tradidiſſet, ex quo* Herodotus *urbẽ faceret.* Ad *hæc, quòd* Plinius Solinúſque Arnobam *uocarent eum montem: denique quòd id nomen in* Cornelij *codicibus toties uariatum reperias. in quibuſdam enim* Arbonum, *in alijs* Abnouum *legitur.* Cœpi *ego anxius mecum altiora ea de re cogitare.* Succurrebat *primum quod* Strabo *lib.* 1. *ex* Ephoro *tradit, totum* Occidentem *olim* Galliæ *appellationem habuiſſe.* Gallos *autem eſſe, qui ipſorum lingua* Celtæ *appellantur, ut initio horum* Commentariorum Cæſar *teſtatur.* Ideóque Herodoti *de* Celtis *opinionem non eſſe prorſus*

friuolam, facile uidebam. Confinium enim ibidem est Germaniæ ac Celtarum. Strabo lib. VII *uocat extremas Germaniæ ab Occasu parteis,* ἄρχεται μὲν οὖν *(inquit de Istro loquens)* ἀπὸ τῶν γερμανικῶν ἄκρων τῶν ἑσπερίων. *Et etiamnum eius regionis lingua mixta est ex Celtica ac Germanica. Nec dubito Heluetiorum nemore totum eum tractum contineri, quem tẽpore Strabonis aliqua ex parte Sueui occuparint. Libro enim* IIII *idem auctor postquàm iugum, ex quo Ister originem trahit, descripsisset, continuò subiungit,* ὅπου αἱ τοῦ ἴστρου πηγαὶ πλησίον σουήβων, καὶ τοῦ ἑρκυνίου δρυμοῦ: *id est, ubi Danubij fontes sunt prope Sueuos, & Herciniam siluam. Aristotelis autem opinionem de Pyrene monte, ne eam quidem absurdam probant uocabula, quæ etiamnum manent altioribus eo quẽ hodie ostendunt, fonte. Brygem alterũ uulgus appellat, alterum Bregen, regionem Por. Et est altitudo non magnorum montiũ (Strabo uocat* ῥᾶχιν μετρίως ὑψηλὴν, *id est, iugum mediocriter excelsum) ubi hodie oriuntur duo hæc quæ dixi flumina. Ecquis unquã fontem uocarit inferiorẽ, ac non superiorẽ potius? Quare ego iusta de causa moueor, ut uel Brygen, uel Bregen Danubij fontes credã. & fortassis duos, ut Rheni. Sed si Deus mihi concedet tantum aliquando otij, quando tam propè habito, tentabo ipse locum uidere, ac certiora lectori ea de re indicare. Interea lector hoc uelut arrabone quietus, uel mecum dubitet, uel quod malim, meliora ipse dispiciat.*

Volgæ Tectosages occuparunt.

Volcæ apud auctores duplices inueniuntur, Arecomici & Tectosages. Sed in his nominibus, C & G, uarie leguntur. Nam apud alios Volcas Tectosaces, apud

alios Volgas Tectosages reperias. Ego utrunque nomẽ Gallicæ linguæ existimo, quæ populum Volclz nominat: & Tectosages Declzdensaclz. Ita Arecomicos Haerlzommen, quasi diceres aduentitios siue inquilinos. Meminit horum Plinius lib. I I I de Narbonensi Gallia, & Strabo in I I I I. Arecomicorum autem septimo libro postea mentio habebitur.

Gallis autem propinquitas.

Legendũ uidetur, Gallis autem prouinciæ propinquitas, & transmarinarum rerum notitia, &c. ut intelligamus prouinciam Romanorum, de qua ab initio primi libri, ubi de Belgis.

Latitudo nouem dierum.

Latitudo hæc nouem dierum sumi uidetur à Meridie ad Septentrionem, hoc est, à Rheni Cataracte maiore, ad Mœnum usque amnem. Longitudo uero secundum Danubium intelligitur, sexaginta, aut multo plus dierum itinere.

Et Anartium.

Anartios Ptolemæus maxime Septentrionales Daciæ facit iuxta Carpanten montem, & Teuriscos, quod maxime consentaneum est uerbis Cæsaris. Illinc enim sinistrorsum uertitur Hercinia silua. Porrò mõs Carpates Sarmatiam à Dacis summouet, quem perperam Carpathum uulgo uocamus: cum Carpathus sit insula inter Rhodũ & Cretam: unde Carpathium mare nomen habet. Quanquam haud scio, num quisquam alius Geographorum præter Ptolemæum huius Carpatæ montis meminerit. Conradus Celtis Carpathũ media producta syllaba uocat, fortassis ad insulæ differentiam: quod non fuit necesse, si quidem Græca exem-

plaria inspexisset, ubi ὁ Καρπάτης, τοῦ Καρπάτου pro mõte. Pro insula uerò, ἡ Κάρπαθος τῆς Καρπάθου.

Ad *fines* Dacorum.

Daci, *populi* Danubij, *propinqui* Sarmatis, Iazygibus Metanastis, & Mysijs: *olim maxime feri, & Romanorum hostes.*

Millibúsque *amplius quingentis.*

Priore *libro* Cæsar *ait ex* Eburonibus *in* Morinos *esse millia passuum centum: atqui idipsum hoc spatiũ ex* Eburonibus *in* Morinos *multo lõgius est, quàm sit* Arduennæ *lõgitudo, uidelicet ex* Treueris *in* Neruios. Quo *pacto igitur* Arduenna *millibus passuũ amplius quingentis in longitudinem patet, nisi longitudinem pro circuitu exponas? quod haud scio an quisquam ausus sit facere.*

Ii *in insulis sese occultauerunt.*

Videtur *hoc de* Selandis *dicere, quæ insulæ sunt hodie inter* Flandriã & Brabantiã *in mari* Germanico.

Segni, Condrusíque.

Hic *locus quibusdam doctis uiris corruptus uidetur, inter quos eximius uir* D. Lambertus Paschalis, *sacri ordinis* Carthusiani, Prior *domus ad* Confluentẽ Mosellæ *ac* Rheni. Legni, *inquit, gens intra fines* Menapiorum, *cuius &* Tacitus & Ptolemæus *meminerunt.* Manet *hodie genti nomen, & oppido* Lynn *uel* Lenck: *in qua gente olim oppidum insigne cladibus* Romanorum, *dictum* Gelduba, *cuius adhuc uestigia manẽt.* Hæc *ille.* Quidã Glatpach *hodie dici existimant.* Idẽ Lambertus *paulò pòst, non* Vatucam, *sed* Ratucam *legendum putat, uulgo* Rade, *oppidulum in finibus* Eburonũ, *haud procul ab* Aquisgrano & Iuliaco. Hæc *ille.*

At quod ad Legnis pro Segnis legẽdum ex Ptolemæo adducit testimonium, nescio quàm probem. Nã in Belgicæ Galliæ descriptione, quæ D. Lambertus uerba ita legit, Legnorum Luppia, postea Agrippinensis Græcus codex ita habet, λεγίων λ̄ οὐλπία. quod Bilibaldus uertit, Legio tricesima Vlpia. Nisi forte quis hoc quoque in Ptolemæo corruptum à Græcis existimet.

Ascaldem quod influit in Mosam.

Hinc undecim legiones numerantur, & duæ cohortes (siquidem adhuc duodecim cohortes ad pontis sunt defensionem: nisi quis, quæ paulò pòst dicturus est, de pontis custodia, ea de longe antè præterito tempore dici intelligat) cum suprà decem duntaxat sit mẽtio legionum. Et uide quàm uerum hoc sit Ascaldẽ influere Mosam. neque enim nostra ætate ex tabulis hoc uidere licet Geographis.

IN C. IVLII CAESARIS COMmentariorum de bello Gallico librum VII, Hẽrici Glareani annotationes.

IN septimo libro, septimi anni continetur historia belli Gallici, qui fuit annus DCCII ab Vrbe condita, Cn. Pompeio COS. solo, in quo libro hæc habentur ordine: Motus Galliarũ à Carnutensium audacia ortus. Vercingetorigis ambitio & studium recuperandæ libertatis, qui statim Bituriges, Aruernos, aliósque populos concitat. Cæsar legiones magna industria omnes cogit. Vercingetorix Boiorum oppidum oppugnare instituit. Cæsar cum illis auxilio esse

uellet, Vellaunodunum, Genabum, & Nouiodunum oppida in itinere expugnat: desistit Vercingetorix ab oppugnatione Boiorum: persuadet Biturigibus, ut omnia, quæ munita non sint oppida, succendant, quò Cæsarē pabulatione intercludant. Cæsar Auaricum oppidum cepit, in Heduis seditionem sedat: cum Labieno copias partitus, Gergobiam obsedit. Interim Hedui fraude Cōuictolitanis Litauicíque deficiunt à Romanis. Cæsar apud Gergobiam militum audacia male pugnat. Viridomari & Eporedorigis Heduorum insignis narratur perfidia. Labienus cōtra Parisios feliciter pugnat. Deficit tota Gallia præter Remos, Treuiros, & Lingones. Cæsar cum Labieno in Sequanos cedit, consequuntur Galli duce Vercingetorige. Fit prælium, in quo Cæsar uictor Alexiam oppidū Mandubiorum, in quod Vercingetorix cōfugerat, magnis munitionibus oppugnat. Conuenit uniuersa Gallia Cæsarem oppugnatum, ubi Cæsar rursus maxima pugna uicit, oppido potitur, Vercingetorigémque cepit.

Desperatis hominibus Genabum dato, &c.

Genabum, ad Ligerim amnem oppidum sesquidiei itinere à Lutetia. hodie Aurelia dicitur, ut est communis existimatio: pontem per Ligerim habet elegantissimum: hæc sedes est ducum Aurelianensium.

Expellitur ex oppido Gergobia.

Gergobia, oppidum Aruernorum est; etiamnum hodie celebre. Gergobina uero, oppidum Boiorum, quod illis Hedui in bello Heluetico ex iussu Cæsaris dederūt. Sed nomina confusa sunt.

Cadurcos, &c.

Cadurcos Ptolemæus ad Canellū flumen constituit,

propinquos Santonibus *&* Rhedonibus, *hodie* Caors, *ut putant*. *Cæsar ait hos esse sub imperio* Aruernorũ. Turoni *autem ciuitatem hodie ad* Ligerim *habent* Diui Martini *sepulchro claram.*

Aulercos.

Ptolemæus, *ut lib.* I I *diximus, triplices facit* Aulercos, Diaulitas, Eburaicos, *&* Cænomannos. Sed *hæc nomina apud* Cæsarem *aliquantum uariata sunt, ut ibidem diximus.* Præterea *nonnunquam coniunctim, nonnunquam distinctim, magna codicum uariatione ponuntur.*

Lemouices.

Lemouices Ptolemæus *uicinos facit* Rhedonibus, *Cadurcis, &* Pictonibus. Sed *post secundam syllabam quidam codices* V *ponunt, quidam* N, *atq; inde putati sunt duo populi, quos ego unum fuisse existimo.*

Andos.

Andes tertia declinatione ad finem libri secundi usurpauit Cæsar, *&* Hirtius *lib.* V I I I *genitiuũ pluralem* Andium *protulit, ideóque hoc in loco* Andes *legendum puto, non* Andos.

In Ruthenos *mittit.*

Dictum est superius quosdam duplices facere Ruthenos, *prouinciales, & non prouinciales.* Hîc *itaque de prouincialibus loqui uidetur.*

Ipse in Bituriges.

Bituriges Ptolemæus *duplices facit:* Vbiscos, *quos ad mare ponit, uicinos ostijs* Garumnæ *fluuij:* OEcubos, *quorũ oppidum* Auaricũ *ponit, quod* Cæsar *cepit, miserriméque diripuit.* De *posterioribus hîc intelligimus, uulgo* Burges: *nam* Vbiscos *hodie* Bordeaux *uocant.*

Progressus in Nitiobriges.

Nitiobriges populi Narbonensis Galliæ *apud* Ptolemæum *uicini* Ruthenis,*hodie montem* Pessulanum *uocant, uulgò* Montpelier. De Cabalis *nihil certi asserimus, quàm* Nitiobrigibus *fuisse uicinos*. Cæsar *postea ait sub clientela* Aruernorum *fuisse.*

Præsidia in Ruthenis,*prouincialibus.*

Hoc *in loco coniungenda uidetur bina nomina* Ruthenis *prouincialibus,&* Volcis Arecomicis. Nā *utrique duplices sunt, ut in superioribus dictum est,& in sequentibus suis locis plura dicentur.*

In Heluios,*qui fines.*

Heluij *qui sint,*Cæsaris *uerba satis declarant.*Meminit & Plinius *lib.*III.*cap.*IIII,Albæ Heluiorū: *ut recte* Marlianus *existimarit hodie* Albinam *dici.*

Etsi mons Gebenna.

Gebenna *qui mons sit,non minus clarū est. Cæterū ingens error est,de quo libro primo admonuimus, qui* Genēuam *hodie* Gebennas *uocant : cum hæc urbs sit inter* Allobrogas & Heluetios. *Mons autem* Gebenna *inter* Aruernos & Heluios,*longissimo ab* Genēua *tractu.*Meminit *eius etiam* Plinius *lib.*III.*cap.*IIII. Videtur *autem hic mons admodū longus fuisse ab* Occasu *in* Ortum,*cū* Cæsar(*ut postea in hoc adeò libro*) *inter* Elauerem & Ligerim *amnes conclusus dicat,iter in* Prouinciam *monte* Gebenna *impediri.*

Altero die cum ad oppidum Senonum Vellaunodunum.

Vellaunodunum,Senonum *oppidum est.qui autem* Villam *nouam* Lothoringiæ *intelligunt, uehementer errant.*Neque *enim uspiā* Lothoringia *hoc* Cæsaris *iter*

attingit. Nam ab Agendico altero die eò uenit Cæsar, & rursus ab eo biduo cum legionibus Genabũ. Quãquam haud scio, num proximo itinere.

In uia Nouiodunum *oppugnare.*

Nouiodunum, *triũ oppidorum nomen, in* Suessioni*bus, ut libro* II: *in* Biturigibus, *ut hîc: in* Heduis, *ut postea in hoc libro. Cæterũ hoc loco necesse est* Nouiodu*num esse eo itinere, quo ab* Aurelia *itur in* Bituriges.

Fratrem à fratre renuntiatum.

Renuntiari, id est, publicè nuncupari, & audibili uo ce præconis proclamari, qui in magistratu succedat.

Secundum flumen Elauer *duxit.*

Secundum fluuium Elauerem *duxit exercitum, propterea quòd eum superare non poterat. Est autem fluuius in* Aruernis *hodie,* Alier, *non longe à* Gergobia: *quod oppidum hodie putant* Claremõtensem *nominari. Cæsar in accessu quintis castris ab* Elauere *uenit* Gergobiam, *in discessu uero ad idem flumen ab eodem oppido triduo peruenit, non igitur est* Gergobia *ad* Elauerem, *ut putauit* Marlianus.

Melodunum *peruenit.*

Melodunum, *oppidum est decem leucas supra* Lutetiam. *in tria parua oppidula diuisum, quemadmodum ipsa urbs* Parisiẽsis *nostra ætate. Quòd si* Agendicum *est inter* Sequanã & Matrõnam, *ut indicat* Marlianus, *quod* Prouins *hodie appellari putat, uix expedimus in utra parte primũ aggressus sit* Lutetiã Labienus, *à* Belgarúmne *regione, an* Celtarũ. *In utraq; enim parte flumẽ transeundũ erat, hâc* Sequana, *hâc* Matrona, *ut semper ab impedimẽtis legiones flumine separari necesse esset. Item hoc quoque dubiũ, in utra* Lutetiæ

parte fuerint paludes, in eáne, ubi hodie Vniuersitas, an ubi maior urbs. Sed hæc studiosis examinãda relinqm⁹.

Bellouaci *autem defectione.*

Erant enim Bellouaci *in fide* Heduorũ *omni tempore, ut ait* Cæsar *libro* II.

Nanque altera ex parte Bellouaci.

Hic *locus propemodum cõuincit* Labienum *in* Belgarum *littore tunc fuisse, ubi* Bellouaci *instabant.* Camulogenũ *autem in littore* Celtico, & Agendicũ *quoque in* Celtis *oppidum fuisse, nisi dicamus,* Si Labienum *in* Celtis *fuisse credimus hoc loco, & in* Belgas *contendisse,* Matrõnæ *pontes in* Romanorũ *manu fuisse, aut* Cæsarem Matrõnæ *oblitum, &* Sequanæ *duntaxat meminisse, cum dicit,* Tum *legiones à præsidio, atque impedimentis interclusas maximum flumen distinebat.*

Et *parua manu* Metiosedum.

Metiosedum, *alij* Iosedum *nominant, oppidum paululum supra* Parisios, *non autem supra* Melodunum, *ut* Marlianus *tradit, quod ex* Labieni *castris, quæ è regione* Lutetiæ *erãt, facile quis colliget, hodie* Corbeil *nominatur, ut quidam existimant.* Quod *si uerum est,* Agendicum *prorsus in* Celtis *est, non inter* Matronam & Sequanam, *ut constituit* Marlianus. Sed *lector ea de re, quid potissimum sequendum, cogitet.*

Sebusianísque, *qui sunt finitimi ei, &c.*

Sebusianos Cæsar *lib.1, extra prouinciã ultra* Rhodanũ *primos esse dicit, uicini igitur* Allobrogibus & Heduis, *imò* Heduorum *clientes inter* Geneuam & Lugdunum, *paulum ad* Septentrionem. *Cæterũ hoc in loco de populis sequẽtibus notandum, quòd* Allobroges, Heluij, & Volcæ Arecomici *pro* Romanis *erant.*

Gabali uero, Aruerni, Rutheni, & Cadurci cōtra Romanos. Legendum autem est, Ad fines Volgarum Arecomicorū depopulādos mittit, ablata coniūctione QVE, ut unus intelligatur populus, non duo. quod superius etiam admonuimus de Volgis Tectosagibus.

Et Eporedorix.

Non erat autem ille, de quo in superioribus habitū est, ubi de Viridomaro.

Circuitus XI millia passuum.

Postea dicturus est, quatuordecim millia passuum. Quare uel codices errant, uel postea maius spatiū complexus est. Quidam aliter hunc nodum expediūt, Cæsarem superius munitionem aduersus oppidanos ostēdisse, hic uero aduersus exteriores hostes, quos propediē uenturos sciebat. Necesse autem esse exteriorem circulum interiore maiorem intelligi. Quod si uerum est, oportebit uerba illa Cæsaris, quæ postea ponit (His rebus perfectis, regiones secutus quàm potuit æquissimas pro loci natura XIIII millia passuum complexus) referre ad sequentia uerba (Pares eiusdem generis munitiones, &c.) Quanquam dure sonat quod subnectit, Diuersas ab his, pro, Ab illis. Sed lector iudicet, res nō est magni admodum momenti.

Fossam pedum uiginti latam, directis, &c.

In genere munitionū Iucundus uerba Cæsaris partim non intellexit, partim illis aliquid de suo addidit. Duas fossas, inquit Cæsar, quinos denos pedes latas, eadem altitudine perduxit. Hoc Iucundus ita accipit, quasi utraque quindecim pedes etiam alta fuerit. At ego puto Cæsarem dicere, fossas duas quinos denos pedes latas fuisse, & eadem quidem altitudine inter se:

cæterum quanto pedum numero, hoc eum non dicere, sicut nec primæ fossæ altitudinem expressit: etiã si Iucundus postea id quoque adiecerit, nõ Cæsaris, sed suis uerbis. De ramis autem cipporũ, adiectiuum, Abscissis, omittit, non absque sensus iniuria. Neque enim permanebant rami infirmi, sed firmi manebant, infirmi abscindebãtur. De lilijs uero hæc Cæsaris uerba, nõ paruam habẽt difficultatem. Simul confirmandi (inquit) & stabiliendi causa singuli ab infimo solo pedes terra exculcabantur. In uetustiore codice legebatur, Singuli ab infimo soló pedes tres terra exulcabantur. Sed terni pedes scrobium (ut Cæsar ait) sub terra erant, è quibus intelligo, singulos tum pro stabiliendis stipitibus completos, tum post immissos stipites conculcatos terra, ita ut relinquerentur adhuc bini pedes pro lõgitudine tibiæ ad uulnerandum corpus acie stipitis. ergo Singuli pedes construendum. Quidam ternos pedes scrobium relictos existimant, ac præterea teretes stipites infimo solo fixos, ut incidentes, inguina ac podices læderent. quod Cæsaris uerbis, quæ pòst sequentur, conforme est. Ait enim de Gallis, Aut in scrobes delapsi trãsfodiebantur.

Ante hos obliquis ordinibus in quincuncem dispositis.

Quincũcialis ordo unde dictus sit multi eximij uiri nostra ætate anxiè inquisiuerunt, de quorum numero Gulielmus Budæus est, idẽ libro primo de Asse dubitans: neq; ego id certo assero, uerum opinione mea libere pronuntiata, lectori iudiciũ relinquo. Quincuncialem igitur ordinem puto dictum, quasi quimpũctialem, à quinque punctis. Cæterum quod hæc uox diffi-

cilis prolatu esset, & nonnihil inepti sono referens, atque adeo ingratum auribus, deflexit Romani *eloquij cõsuetudo in id quod proximum alioqui, & in usu frequenti erat, Quincuncialis pro Quimpunctialis appellitans. Est igitur Quincuncialis ordo, qui in quouis quadrato centro ipsius quatuor angulorũ punctis cõparat. aspectu enim sic fiunt quinque hoc modo, ⁙ Quòd si plura quadrata conecti intelligamus, emerget totius iugeri forma sub ordine & aspectu Quimpũctiali (ut ita loquamur) ad hãc formam.*



Paucis *itaq; his uerbis & quid sit Quincuncialis ordo, & cur ita dictus, puto lectori perspicuum.* Nam *ex* Ciceronis, *Quintiliani, atque aliorum auctorum uerbis, quæ* Budæus *adducit, neutrum ita lucide expedias ut lector non uehementer hæreat.*

Imperant Heduis *atque eorum clientibus.*

Vix *est alius totis hisce* Cõmentarijs *locus æque atque hic deprauatus, nemine à multis annis de hoc numero curãte, quo pacto partes summæ respõderent.* Itaque *& anxia cura & summa adhibita diligẽtia, inspectis exẽplaribus, eũ magna ex parte restituisse confidimus. Quanquam in populorum nominibus aliquot hæremus, nec absque causa iudicium nostrum lectori committimus.* Notandum *itaque est* Cæsarem *oppidò pulchra ratione hanc descriptionem instituisse, nempe ut potentissimos quosque populos primum enumeraret,*

deinde minus potẽtes pòst poneret. Quo ordine *Hedui ac Aruerni iure præcedunt: quippe quibus & lata regio, & magnæ erãt cliẽtelæ, ideóq; & maximũ ijs dedit numerũ, uidelicet tricenaquina millia, quæ summa crescit in septuaginta millia.* Sequuntur *deinde populi minores sex, Senones, Sequani, Bituriges, Sãtones, Ruthe ni, Carnutes, quibus duodena tribuit millia, nõ uigintiduo millia, ut falsò habẽt corrupti codices. Summa igitur horũ populorũ excrescit in septuagintaduo millia.* Bellouaci *decem millia dare iussi, duo miserunt, ratio paulo pòst à Cæsare redditur.* Lemouices *decem millia miserũt.* Octona *millia quatuor dũtaxat populi, Pictones, Turoni, Parisij, ac Heluetij. Nã hîc distinguendum est colo, quod coniũctio* ET, *ter posita satis indicat. Sũma triginta duo millia.* Porro *deinde nouus sensus inchoandus à Suessionibus (ita enim legendũ est, nõ Senonibus, quandoquidem hi iam numerati sunt)* Ambianis, Mediomatricis, Petrocorijs, Neruijs, Morinis, Nitiobrigibus, *quibus quina millia imperata sunt, sicut &* Aulercis Cœnomannis, *quos ideo seorsum numerat, ne uideretur duo populi, cum sit unus. Sũma octo horũ populorũ quadraginta millia.* Atrebatibus *imperata quatuor millia.* Terna *autẽ millia, tribus populis,* Bellocassis, Lexobijs, *ac* Aulercis Eburonibus. *Est enim & hic unus, nõ duo populi.* Vides *ut ab duodenis millibus deuẽtum sit ad terna millia.* Boijs *igitur ac* Rauracis *ex hactenus seruato descriptionis ordine minor numerus cõpetet, ut ciuitatibus duabus perexiguis, bello etiã ante sexenniũ* Heluetico *attritis.* Præterea *Boijs, ut exulibus ab* Heduis *receptis, quemadmodũ libro primo narrauit* Cæsar, *bina igitur ijs millia attribuẽda, nõ triginta millia, ut pessime omnes errãt codices.* Postremo *Armoricæ*

ciuitates pro portione minimum dederunt numerum, utpote longius ab Heduis distantes, quod de Treuiris quoque superius dixit Cæsar. Itaque his neutiquam distributiuum nomen dãdum, sed sex millia in uniuersum illis imperata intelligendũ. Sed age nunc si libet, omnium summam colligamus, primis illis numeralibus, citra distributionem, & notis item numerorum characteribus. Heduorũ ac Aruernorum pone 70000. Octo deinde populorũ 72000. His adde Bellouacorũ 2000. Lemouicum 10000. Rursus quatuor populorũ 32000. & octo populorum 40000. Atrebatium 4000. Trium populorum 9000. Duorum 4000. Postremo Armoricarũ ciuitatum 6000. & emerget summa omniũ 249000. Cæsar 8000 equitum ponit, peditum 240000, rotundo magis numero quàm iusto. debebat enim ponere peditum 241000. Sed pro uno milliario libuit dicere Circiter. Quapropter si ita, quemadmodum recensuimus, legantur, & ordo Cæsariæ descriptionis, quæ maximum quenque numerum primo quoque loco ponit, seruabitur, & equites in numerum generalem illum, summæ omnium, uenient. Denique illud quod Circiter Cæsar dixit, explicabitur, cum unus duntaxat millenarius in summa omittatur. Nõ existimo difficile post tam exactam omniũ numerorũ supputationem, uel parũ etiã exercitatis in arithmeticis, uidere, si sex, post Heduos ac Aruernos, populis demus 22000, ut uulgo codices habẽt, Rauracis ac Boijs 30000: deniq; Armoricis ciuitatibus sena millia, id est 42000, quantũ numerus superaturus fuerit Cæsaris summã. Rursus si Rauracorũ fortassis ac Boiorũ ad nostrã summã, diminuemus, quantũ defecturus ab eadẽ Cæsaris summa. Quapropter nõ magnopere diffidimus apud optimos quosq;

lectores, postæaquam hanc nostram diligentiã penitus introspexerint, calculũ huic nostræ opinioni addituros. Obiter etiã hoc Latinæ linguæ *studiosis considerandũ, quàm* Latinè *ac propriè* Cæsar *distributiuis, ubi debuit, tota hac populorum nomenclatura utatur.* De Heduis *uno populo trigintaquinque millia, inquit, nõ tricena quina.* De Aruernis *parem numerum, de sex continuo sequentibus populis duodena, nõ duodecim, ut singulis duodecim millia imperata intelligamus.* Rursus de Bellouacis *decem millia, totidem de* Lemouicibus, *octona inde de quatuor populis, quina de septem, totidem de uno.* Et rursus de Atrebatibus, *uno etiam populo, quatuor millia, continuo de tribus terna, de duobus bina, de uniuersis* Armoricis *ciuitatibus non sena, quæ immensa summa futura erat, sed sex protulit.* Nũc *de populorum nominibus paucula subnotanda uidentur.* In Heduorum *clientibus pro* Ambruaretis, *quod alibi* Ambulartis *legitur, uide num legendum sit* Ambarri, *qui* Heduorũ *necessarij ac consanguinei libro.* 1 *dicuntur.* Aulerci *autem ibidem, uocabulum mihi prorsus suspectum.* Triplices *enim sunt* Aulerci, *ut supra habitum est, nec ullũ hîc additur cognomen, cum alteri* Cœnománi, *alteri* Eburones *paulo pòst nominentur, &* Diablintres *inter* Armoricas *ciuitates facile numerari queant.* In Aruernorum *clientibus* Heleuteris, *nõ* Heleutetis *legendum* Celtica *lingua* Hellhuter, *ut* Heluetij Helluetter, *quasi à* Dite *prognati, ut præcedente libro refert* Cæsar. De Suessionibus *paulo antè admonuimus: nec obstat uel quòd lib.* 8. Remi *dicant ad* Cæsarẽ, Suessiones *optime de* Rep. *meritos.* Nã *hæc propè totius* Galliæ *insania erat, uel quòd ipsorũ* Remorũ *clientes erant, cũ* Carnutes *eorundẽ clientes hîc adfuerint.* Por

ro Belloca*ssi Celtarũ est populus,*Veroca*sses autem* Bel*garũ.*Sed *declinatio mire uaria apud auctores legitur.* Inter Armori*cas ciuitates tria nomina mihi suspecta,* Ambibari*j,*Cadetes,*&* Lemouices.*Cõfer populorũ,quæ* Armori*carũ ciuitatum sunt,nomina,lib.2.ad finem, &* *tertio de bello* Veneto,*si forte pro* Ambibari*js* Ambiliates *legendũ,& pro* Cadetibus Nannetes,*pro* Lemouicibus Diablintres . Lemouices *enim antea numerati sunt: quanquã codex* Albinus *prius nomen per* V *consonãtem scribit,hoc per* N: *quo auctore cõminisci non potui, mihi sanè non probatur.* Scio *apud* Ptolemæum Galle*cos siue* Galletos *in extremo* Septẽtrionali *latere* Lugdunensis Galliæ *numerari, si fortassis quis eos* Cadetes *à* Cæsare *nominari contendat:* Galletos *certe* Plinius *nominat cum* Lexobijs,*cap.18.lib.primo.* Et *in* Ptolemæi *Græco codice* καλῆται *legitur.* Vix *me expedio, minúsque definio quid potissimũ hac in re sequẽdum lector iudicet.*Sed *age nunc,cũ adiuuãdæ memoriægratia,tum ut in posterũ minus locus corrũpi queat, totius descriptionis huiusmodi typum adscribamus.*

70000	Hedui 35000,*cum suis clientibus,quos hoc loco ponit* Cæsar,	Segusianis. Ambruaretis. Aulercis. Brãnouicibus. Brannouijs.
	Aruerni 35000,*cum suis item clientibus,*	Heleuteris. Cadurcis. Gaballis. Vellaunis,*quos alij* Velaunos *uocant.*

72000 {
Senones 12000.
Sequani 12000.
Bituriges 12000.
Santones 12000.
Rutheni 12000.
Carnutes 12000.
}

Bellouaci 2000. *Decem millia his imperata erant, sed duo duntaxat miserunt.*

Lemouices 10000.

32000 {
Pictones 8000.
Turoni. 8
Parisij 8000.
Heluetij 8000.
} *Quatuor hi populi neutiquam cũ sequentibus sunt coniungendi.*

40000 {
Suessiones 5000.
Ambiani 5000.
Mediomatrici 5000.
Petrocorij 5000.
Neruij 5000.
Morini 5000.
Nitiobriges 5000.
Aulerci Cœnomanni 5000.
}

Senones antea numerati sunt: hîc igitur Suessiones legendum.

Aulerci Cœnomãni, unus populus, nõ duo: sicut paulo pòst Aulerci Eburones.

Atrebates 4000.

9000 {
Bellocasses 3000.
Lexobij 3000.
Aulerci Eburones 3000.
}

4000 { Rauraci 2000 / Boij 200 — Paruæ hæ erãt ciuitates & nuper bello Heluetico attritæ. Ineptè igitur his 30000 codices quidam attribuunt.

6000 { Curiosolites / Rhedones / Ambibarij / Cadetes / Osissini / Lemouices / Vnelli

Summa omnium 249000.

A castris longurios, musculos, falces.

Musculus propemodum ut uinea instrumentum est ad subeũdas munitiones, minus quidem uineis, sed firmius. Cæterum pro A castris, quod hîc nihil ad sensum facit, puto legendum Rastros. Et planè uetus codex non habebat præpositionem A. Vnde non dubito scripturam uitiatam.

Omnia enim plerunque quæ absunt.

Horatius Ode prima Epodon: Minore sum futurus in metu, qui maior absenteis habet. Item non ita multo pòst, Agger, inquit, ab uniuersis in munitionem coniectus, & ascensum dat Gallis, & ea quæ in terrã occultauerant Romani, contegit. Quid sit Aggerem in munitionem conijcere: comminisci non potui. Vtrum aggestam terram in fossas conijcere? Cæterum nimis concise hunc finit librum, territus, opinor, magnitudine eius ad reliquos, sed res non est tanti.

IN AVLI HIRCII DERELIctorum de bello Gallico librum VIII, Henrici Glareani annotationes.

IN præfatione excusat se Hircius, ne post Cæsarem temere scripsisse uideatur. Deinde motum bellum in Biturigibus & Carnutibus refert, & quomodo his domitis Cæsar in Bellouacos processerit. Trahitur res paruis prælijs. Bellouaci à loco, quem munitissimum instituerant, discedunt. Cúmque insidias Romanis pabulatoribus duce Corbeo instruerent, Cæsar intellecto dolo, insidias insidijs deleuit, & occiso Corbeo Bellouacos in deditionem accepit. Deinde narrat perfidiã C. Voluseni in Comiũ Atrebatem, diuisionémque exercitus, uidelicet in Eburones & Treuiros missas legiones. C. Caninius cõtra Andes & ducem Dumnacum feliciter pugnat. Vxellodunum obsidetur à Romanis & expugnatur: ijs qui arma ferre potuerũt, manus Cæsar præcidit. Dimisio exercitus in hiberna: & de Comio historia finit octauum annum. Nono anno pauca admodum gesta narrantur ob quietam Galliam, sed ad bellum Ciuile satis multa præparamenta. Decimo igitur anno cœpit bellum Ciuile, quod posterioribus libris Cæsar descripsit.

Omni Gallia deuicta.

Hic est annus ab Vrbe cõdita DCCIII. COSS. Seruio Sulpitio Rufo, Marco Claudio Marcello.

Ad legionem duodecimam.

Legendum haud dubie, tertiamdecimam, ut post aliquot paginas patebit lectori nõ oscitanti: erat enim ea quæ cum T. Sextio in Biturigibus collocata fuerat: cu-

ius mentio etiam est in oppugnatione Gergobiæ.

Superioribus commentarijs declaratum est.

Hoc *nusquã in superioribus libris continetur, quod equidem meminerim, nisi sit aliquis defectus, ut fieri potest.*

Cæsare in Gallia *citeriore.*

Gallia *citerior, quæ & togata, diuiditur in* Trãspadanam & Cispadanam *regiones.* Transpadanam *occupat ducatus* Mediolanensis, Cispadanam *Ptolemæus solam uocat* Togatam Galliam, *in qua sunt* Placentia, Bononia, Mutina, Parma *& aliæ quædam ciuitates non ignobiles.* Cis *autem &* Trans, *ad* Vrbem Romam *referri debent.*

Mittit in diuersissimam partem Galliæ.

Nõ *satis intelligitur in quam partem missus sit* Fabius, *nisi ex sequentibus, quando* C. Caninio *succurrit in* Lemouicis.

Neque C. Caninium Rebilum *legatum.*

Ad *finem libri septimi* C. Caninius *in* Ruthenos *cum una legione mittitur, hîc mox in* Lemouicos *uenit duabus legionibus.*

Ac *superiore æstate* Tergestinis.

Tergestum, Colonia *in* Istria *est in intimo* Hadriatici *maris sinu, non longe ab* Aquilegia Carnorum *oppido, hodie ditionis* Venetæ *in tota* Istria.

Literis *nuntijsque* Duracij *cognouisset.*

Ex Duracio Marlianus *populũ & oppidum facit, hoc est, ex homine saxum.* Duracius *enim* Lemouicûm *dux fuit à parte* Romanorum, *contra* Dumnacum *ducem* Andiũ. Duracius *igitur in* Lemouico *oppido clausus fuit & obsessus à* Dumnaco, *liberabatur autem à*

Caninio & Fabio. Cæterum Lemouicum non erat ad Ligerim, quod Marliano tamen uisum est, sed Dumnacus discedit à Lemouico ad Ligerim, quem fluuium transire cupiebat, à Fabio impeditus.

Circundare conatur.

Moratur, legendū est: non enim perfecit Caninius has munitiones ante pugnam: de qua paulo póst.

Cutruatum ad supplicium.

Ab initio septimi libri uocat Cotuatum, quod nomen placet. Cæsar enim corrupit Gallicam uocem Guot-VVad, qui egregijs est Iuris: Græci ἐυνγηρῖδα uocant.

Reliquam esse unam æstatem.

Duæ reliquæ sunt, ut ex sequentibus patet, & maxime ex initio tertij libri de bello Ciuili. Nam ibi ait eum annum esse quo per leges ei cōsulem fieri liceret. Fortassis autem sesquiannus restabat.

Scio Cæsarem.

Epilogus libri est, & incipit nunc nonus annus, siue hiems, quæ præcessit nonum annum maiore ex parte.

Ipse hibernis peractis contra consuetudinem.

Contra consuetudinem ait, quia antea sub aduentum hiemis solebat in Italiam proficisci, hîc uerò sub aduentum ueris.

Vt municipia & colonias appellaret.

Hîc & ex sequentibus uerbis satis clarum euadit colonos quoque suffragia tulisse Romæ in magistratibus creandis.

Sed etiam per se discessionem facere cœpit.

Hic locus corruptus est, nam de quo loquatur, qui discessionem fecerit, ignoratur. Curio enim nullum habuit exercitum.

Nam Marcellus proximo anno.

Loquitur de C. Marcello Consule *prioris & huius annorum.*

Neque obscuræ hæ duæ legiones uni Cæsari.

Vide *lib.6.ab initio de hoc delectu.* Nã *prouinciam intelligo* Cæsaris, *& non* Pompeij.

Per hiberna C.Trebonium.

Historia hiemis quæ præcedebat annum decimum, saltẽ ad Calẽdas *usque* Ianuarias,*quo anno* COSS. *erant,quos paulo antè dixerat,*C.Claudius Marcellus, *&* L.Lentulus Crustellus.

Per M.Marcellum.

Legendum est C.Marcellum,*qui huius anni consul fuit,& præcedentis.*

IN C. IVLII CAESARIS COM *mentariorum de bello* Ciuili *librũ* I,Henrici Glareani *annotationes.*

Argumentum libri primi de bello Ciuili.

IN *primo libro de bello* Ciuili *hæc ordine habentur:Cõtẽtio in senatu* Romano *de imperio* Cæsaris.Senatusconsulta *aduersus* Cæsarẽ.*Interceßio tribunorũ pro* Cæsare. Cæsaris *apud milites concio.*Eiusdem *à* Rauenna *discessus ad* Ariminum,*ac reliqua superi maris oppida,quæ præsidijs firmat.*Multi *à* Cæsare *capiũtur,sed omnes incolumes dimittuntur.* Quæ *ad* Corfinium *acta ac* Brundusium, *profusius explicantur, quòd illic* Domitius *captus, hîc* Pompeius *uix euasit.*Diuisio *exercitus* Cæsariani:Curio *in* Africam,Cæsar Romam *proficiscitur, atque inde* Massiliã.

Massilienses recepto Domitio Caesari portas clauserunt. Relictis itaque ad eius urbis obsidionem C. Trebonio, & D. Bruto, Caesar in Hispanias proficiscitur. Erant Afranius, Petreius ac Varro Pompeij legati tres, qui Hispaniam septem legionibus obtinebant: praeter Prouinciae auxilia C. Fabius tribus legionibus praecesserat Caesarem. Ad Ilerdam omnis belli uis conuersa: hîc cum multis diebus pugnis aliquot contendissent, tempestas Caesarem, omni commeatu intercluso, prope obruisset, uicit patiētia. Nō minus tamen interea Massilia oppugnatur, & ipsos quidem Massilienses Brutus uicit nauali pugna. Porro Afraniani in Celtiberiam abire conati, à Caesarianis impediuntur, tandem ad deditionem coguntur, quam mirum in modum tamen Petreius impedire conatus, res absque multorum sanguine tādem ad felicem exitum peruenit. Clementiam suam Caesar ostendit, exercituúmq; dimissionem fecit, partim in Hispania, partim ad Varum flumen.

In eandem sententiam loquitur Scipio.

Hic fuit Metellus Scipio Cn. Pompeij socer.

Dixerat aliquis leniorem sententiam.

Leniores tres adfert dictas sententias, quanquam in unam duae posteriores concedunt.

Item L. Roscius Praetor.

Videtur hic Roscius esse de quo Florus 99. libro, qui & Otho cognomine, de quo Horatius lib. Epod. ode 4.

Dicuntur etiam à nonnullis.

Pulchre, sed mordaciter inimicorum causas narrat.

Et dolor repulsae.

Huius repulsae meminit Florus lib. 108.

Ipse Pompeius. Lucanus,
Nec quenquam iam ferre potest Cæsárue priorem,
Pompeiúsue parem.

L. Sylla reliquerat.

L. Sylla tribunitiam potestatem propè deleuerat, sed ius tamen intercedendi reliquerat, ut statim pòst Cæsar apud milites conqueritur.

Decurritur ad illud extremum atque ultimum.

Sēsus est: Nullus unquā lator huius legis tā audax fuit, ut hanc ferret, nisi penè in ipso Vrbis incēdio, &c.

Lictoresque habent in Vrbe.

Hîc sunt multæ incertæ distinctiones.

Quibus rebus cognitis.

Oratio est accusatoria, maxime autem in inimicos Cæsaris, hoc est, Catonem & Scipionem inuehitur. Pōpeium propter summā auctoritatem primū non ausus directè petere, at sumpta audacia deinde notat. Primū quòd falso gloriaretur de restituta post Syllæ tempora tribunitia potestate, cum nunc eam prorsus obruat. Secundo, quòd Senatus decretum, quo in ultima tantum necessitate populus Romanus utebatur, inuerterit.

Expiata Saturnini.

De hoc Saturnino uide Florū in Epitome libro 69. & de Gracchis libro 58. ac tribus sequentibus.

Ariminum cum ea legione proficiscitur.

Hîc Cæsar trāsiuit Rubiconem amnem armata manu, contra S. C. dicēs, Iacta est alea, ut refert Suetonius.

Tamen hanc honoris iacturam.

Hîc exponit beneficium populi Romani.

Interea certior factus Tignium, &c.

Pro Tignium uide ne sit legendum Firmium, op-

pidum in Picenis ad superum mare, ut sunt alia hîc enumerata.

Auximúmque proficiscitur.

Auximatum meminit Plinius lib. 3. cap. 13. proxime Anconam.

Deseritur à suis Varus.

Hic Varus protinus ex hac fuga in Africam uenit, quam prouinciam Prætor antea possedit, ac illam à Cæsare auertit.

Etiam ex Cingulo.

Cingulanorũ meminit Plinius bis, semel in Latio, cap. 5. lib. 3: semel in tractu Piceno cap. 13, eiusdẽ libri.

Ex Alba, & Marsis, & Pelignis.

Albensium Albam ad Fucinum lacum ponit Plinius lib. 3. cap. 12. Ptolemæus Albam Bucelin uocat, ac Marsis attribuit.

Pollicetur quadraginta in singulos iugera.

Vide ne Quaterna legendũ pro Quadragita. Quomodo enim hoc tot cohortibus Senator unus daret?

Lucretius & Actius de muro se, &c.

Hic Actius Pelignus fuit, non Varus ille, de quo paulo ante.

Quid ipsis Corfiniensibus, quid Domitio.

Expectatio erat quid accideret Corfiniensibus, Domitio, &c. Nam existimabãt Cæsarem sæuiturũ in eos.

HS LX. Quod aurum abduxerat Domitius.

Si legas sestertia sexaginta, summa erit coronatorum mille quingentorum. Quæ summa uidetur nimis parua. Quare legendum existima, sestertium sexagies: quæ summa crescit in centena quinquaquinta millia coronatorum.

Ferentinorum.

Frentanorum legendum uidetur ex Plinio lib.3. cap.11.& 12.

In Siciliam Curionem proprætorem cum legionibus tribus.

Intelligit triginta cohortes Domitianas, quas Corfinij nactus erat.

Sin timore refugiant, illis se honorem.

Legendum puto, Sin timore defugiant illi, se suo honori non defuturum, sed per se Remp. administraturũ.

Albicos barbaros homines.

Strabo lib.4. ita habet, Post Sallyes tenent Albiẽses, & Albici, & Vocōtij mōtana in Septentrionẽ uergẽtia.

Et Iluorum.

Non satis clarum est qui sint Ilui, cum Ilua apud Ptolemæum sit duarum insularum nomen: alterius inter Corsicam & Sardiniam, alterius Hetruriæ X millia passuum à Populonia, ut ait Plinius. De his non uideo ut hic locus intelligi queat.

Alter bello uictas Gallias attribuerit.

Et hoc quoque suspectum est de uictis Gallijs Massiliensibus attributis, nisi intelligamus ideo Cæsarem quoque suspiciẽdum, quòd uictas Gallias Romanis attribuerit. Verum quid hoc ad Massilienses, erga quos Pompeij priuata erant beneficia?

Naues longas Arelate numero, &c.

Ptolemæus Arelatum, Salliuml & oppidum & coloniam facit.

Alter à saltu Castulonensi.

Castulonẽ Ptolemæus facit urbem Oretanorum ad Anam flumen. Vectones autem inter Tagum & Doriũ flumina ponit.

Bellum ad Ilerdam.

Ilerda, oppidum est citerioris Hispaniæ ad Sicorim flumen uiginti millibus passuum ab Ibero amne.

Hinc optimi generis hominum ex Aquitanis.

Intelligit de ijs qui ad Gebennam & Cœnomannorum montes habitant.

Et postero die omnibus copijs, &c.

Hoc in loco Cæsar uidetur transisse Sicorim, quãuis loca superiora cum hoc non admodum quadrent: tota enim huius historiæ difficultas inde pendet, quòd ubi Afranij castra, citráne Sicorim fuerint, an ultra scire planè non possumus. Ex superioribus citra flumẽ fuisse uidentur, sed ex sequentibus ultra. Lucanus tamen dicit Sicorim medium fuisse intra castra Cæsaris & Afranij, -medius dirimit tentoria gurges.

Erat in oppido Ilerda & proximo.

Vide num legendum sit, Erat inter oppidum Ilerdam & proximum collem: atque ita legit Sulpitius Verulanus Lucani commentator.

Sicorim & Cingam.

De Cinga suprà nihil dictum est, sed uidetur hic locus significare satis luculenter Cæsarem Sicorim trãsiecisse.

Cetrati citerioris Hispaniæ.

Hic Cetratos uocat citerioris Hispaniæ, cum superius ulterioris uocasset, & citerioris Scutatos.

Et loca trans flumen integra.

Vide quomodo dicat Trans flumen, si Ilerda ultra Sicorim fuit, cum Fabius superius pabulatum miserit trans pontes, quòd ea quæ citra flumen fuerant, superioribus diebus consumpserat.

Imperat militibus Cæsar, ut naues faciant.

Vide ab initio lib. 5. & deinceps per aliquot folia: quanquam ne his quid similes erant, opinor.

Militésque his nauibus transportat.

Sicorim hic traijcit, quandoquidem hunc postea auertere pluribus fossis annititur, ne magno circuitu per pontem equitatus esset mittendus.

Hæc ad insulam quæ est contra Massiliam.

Strabo libro 4. Stœchadas uocat tres insulas, Lucanus autem lib. 3, unam uocat.

Interim Oscenses & Calaguritani.

Osca, oppidum est Ilergetum auctore Ptolemæo. Plinius lib. 3. cap. 3, Calaguritanos duplices facit, alteros Nascicos, alteros Fibularenses cognominatos. Cæterum Lascetani & Ausetani citra Iberum populi apud Ptolemæum corrupte Leitani ac Autetani nominantur. Illurgauonenses qui sint non est certum. Plinius Illuronem eodem loco ponit oppidum ciuium Romanorum.

Pons enim ipsius magnum circuitum, &c.

Viginti enim duobus millibus à castris Cæsaris aberat, ut superius habitum est.

Impedimentisque ad iter profectos uidebant.

Reliquerant enim legionem unam præsidio castris apud Ilerdam, ut supra dixit.

Alterum si Tarraconem peterent.

Vel hoc suspectum est nomen, uel Afranius ac Petreius ignorabant Tarraconenses ad Cæsarem defecisse: quod ipse tamen Cæsar superius scripsit.

Non enim amplius pedum millibus, &c.

Tutum nanque receptum dabant castra propinqua, ut statim subiungit Cæsar.

Si prælium committeretur, &c.

Tertiam partem interiectæ planitiei intelligit.

Illi uadum fluminis Sicoris tentare.

Vide & hîc Ilerdam citra Sicorim.

Audiente utroque exercitu loquitur Afranius.

Oratio deiecti animi enumerantis quæ omnes sciebant, scilicet ut purgatus apud suum imperatorem uideretur.

Ad ea Cæsar respondit.

Magnanima respõsio est, nec minus ingeniosa, qua omnem huius belli culpam in aduersariorũ duces deriuat. Primum enim & se, & suum exercitum, deinde & illorũ exercitum purgat, quòd omnes in officio man serint, solos ipsos duces Afranium, ac Petreium in cul pa esse omniũ harũ calamitatum. Inuehit inde in Pompeium, ac suos complices, ostendens quanta iniuria ip sum affecerint. In fine breuem quidem, sed amaram ducibus, gratam exercitui ponit conclusionem.

In se ætatis excusationem nihil ualere.

Qua Pompeius etiam emeritos coegit ad bellum.

Ad Varum flumen dimittuntur.

Id flumen est, Italiã à Gallia Transalpina separãs.

IN C. IVLII CAESARIS COMmentariorũ de bello Ciuili librum II, Henrici Glareani annotationes.

Argumentum secundi libri.

Tria hoc in libro tractantur: Primum Massiliæ oppugnatio mari ac terra. Mari rursus uicit D. Brutus, terra perdifficilis fuit oppugnatio, operibus sanè mirandis, quæ diligentissime descripsit Cæsar, quæ hostes datis inducijs perfidia deleuerunt. Reparatur rursus inauditus agger à Trebonio. Tandem Massilienses omnibus uicti malis sese Cæsari, qui iam ex Hispania denuo uictor redierat, dedidêre. Secundum, ut M. Varro Pompeij legatus Hispaniam ulteriorẽ à Cæsare auertere conatus sit, sed frustra. Nã prouinciæ consensus, ciuiúmque Rom. Cordubæ officium obstabant Varroni. demum unius legionis secæssio coegit eum ut sese Cæsari dederet. Tertiũ, ut in Africa aduersam fortunã Cæsaris exercitus Curioni Tribuno traditus, passus sit. Nam cùm primo aduentu prælijs aliquot Curio aduersus Actium Varum Pompeij legatum prosperè pugnasset, Vticámque oppidum oppugnare conatus esset, subito aduentu Iubæ, Maurorum regis, cum Curio Saburam eius præfectum cum paucis subsidijs adesse, ex perfugis captiuísque percæpisset, oppressus est cum toto propè exercitu. Pauci enim nauibus in Siciliam effugerunt, reliqui facta deditione ac in fidem accepti à rege Iuba trucidati sunt.

In hac ratione perfectum est.

Duas res hîc Cæsar describit: primo turrim lateritiam, secundo musculum. Turris ad repentinos hostiũ

incursus reprimendos facta erat: musculus autem aduersus rerũ grauissimarũ lapsum, ut turris aut totius muri. Ab turri, *hostes à muris deturbabantur: sub musculo uero milites murũ* Massiliensem, *ac turrium fundamẽta uellebant.* In *descriptione turris, singulus cõtabulationibus singulas contignationes subiungit, cũ munitionibus desuper structis.*

Centones insuper iniecerunt.

Centones, *stragula sunt crassiora, uillis passim pendentibus, quibus & lecti pauperum sternuntur, & tabernacula, omnísque castrensis supellex pluuio tempore uelantur.* Vide *adagium,* Farcire *centones.*

Has inter se capreolis molli fastigio, &c.

Capreoli, *ligna sunt à transuersis trabibus ad columen usque erecta, quæ totum culmen sustinendo colligunt.* Vide Vitruuium *lib.* III. *cap.* II.

Phalangis subiectis ad turrim, &c.

Phalãgæ, *sunt ligna teretia, qualia sunt quæ nauigijs dum uel subducuntur, uel deducuntur, supponi solent.*

AE*qua ferè latitudine.*

Altitudinem *initio huius libri prædixit, latitudinem nusquam: quare pro latitudine suspicor altitudine legendum.*

Pilæ interponuntur.

Pila, *dicitur quæ parietem sustentat, ab opponendo, ut* Varro *sentit, ita uocata.*

Si ad Rẽp. *administrandã* HS CLXXXX.

Legendum puto Sestertiũm *nonagies, ut efficiant ducenta ac uiginti quinque millia coronatorũ.* Veri *enim simile est maximam summam primum posuisse, & in uetustis codicibus illud* Millia *nõ est positum, post* Cen-

tum nonaginta. Quanquam siquis sestertiûm centies nonagies legat, habet quo se defendat. Erit autẽ summa ingens quadringentorum septuaginta quinque millium coronatorum. Atque id *magis uerisimile ad fidẽ codicum, & ad eam quæ sequitur summam.*

Panico enim uetere.

De *panico uide* Plinium *lib.*81.*cap.*7.

Hanc remulco abstraxit.

Remulco *est, cum scaphæ remis, nauis magna trahitur.* Festus Pompeius.

Quod est ante oppidum substructionibus eius operis.

Substructio, *est fabrica quæ in fundamentis fit.* Fundamenta *autem sunt fossæ in quibus substruitur.*

Quas superioribus tẽporibus Corfinio *receperát.* Loquitur *de triginta cohortibus, de quibus suprá.*

Dimisso *consilio concionem aduocat, &c.*

Oratio *est laudatoria dissuasoriáque.* In *primis enim laudat milites, deinde inuehit in hostes, maxime in* L.Domitium. Postremo *de se ac militibus & eorum rebus gestis disserit.*

Et *capitis diminutione.*

Capitis *diminutio, est prioris status permutatio,* Caius.

Erat *in oppido multitudo insolens.*

Alibi *legitur,* Illi *amicissimi erant. tum etiam ex uarijs generibus constarent.*

Et *controuersijs* Leptitanorum *restitisse.*

Omnes *auctores* Leptas *ad* Oriẽtem Vticæ *posuit, &* Numidiam *ab* Occasu. Considerandum *igitur lectori; quo pacto hunc locum intelligat.*

IN C. IVLII CAESARIS COMmentariorum de bello Ciuili librum III, Henrici Glareani Heluetij annotationes.

Argumentum tertij libri.

P Rioribus libris res Occidentis narratæ sunt, uidelicet in Italia, Gallia, ac Hispania, ac etiam Africa. Nunc quæ res in Oriente gestæ sint, describũtur. Et ut Cæsar bis male apud Dyrrhachium pugnauerit. Pompeius uero in Thessalia apud Pharsalum urbem una ingenti pugna uictus, in AEgyptum fugerit, atque ibi iussu Ptolemæi regis interfectus. Vnde bellum Alexandrinum ortum, quod libro deinceps quarto prosequitur A. Hircius.

Item Prætoribus, Tribunísque pleb.

Meminit Sallustius in Catilinario bello de hac lege.

Qui se illi in otio ciuilis belli.

Hîc uidetur desiderari uerbum aliquod, etiam si tota sententia ad priora referatur.

Ex quibus sexcentos Gallos Deiotarus adduxerat.

Vide Lucanum lib. V. non ita longe ab initio.

Pastorúmque suorum coegerat CCC.

Quidam codices non habent CCC, sed post Gallogræciam habent tantundem, ut intelligamus etiam DCCC. quanquam quidam codices pro DCCC, habent CCCC.

Dardanos Bessos.

Dardanos Bessósque legendum.

M. Bibulus præpositus cuncta.

Calphurnius intelligitur, qui COS. fuit cum C. Cæsare ante bellum Gallicum.

Vt suprà demonstratum est, legionibus VII.

Legionum mentio antè non est habita, quæ quidẽ naribus impositæ fuerint, sed militum legionariorum, quorum quindecim millia dixit. Quæ quàm quadrẽt cum hoc numero, haud certò pronuntiarim.

Sed post discessum Liburnarum, *ex* Illyrico.

Locus est perobscurus, & uidetur tempus describere lõge ante aduentum Cæsaris in Græciã, nempe eius æstatis aut autumni, ante hanc hiemem, qua ipse Cæsar in Hispanijs *fuit. suspicor etiam hîc aliquot uersus desiderari de historia, ut diligẽter legẽti satis patet.*

Hissam à Cæsaris amicitia auertit.

Hissa, *insula est & ciuitas è regione* Salonarũ, *eius rursus mentio fiet libro* IIII, *quando rursus in manus Cæsaris uenit.*

Iámque hiems appropinquabit.

Paulò antè Nonis Ianua. *à* Brundusio *discessum est. hîc appropinquat hiems. Sed necesse est* Octauij *historiam de priore autumno intelligi, & mutilã à principio esse, ut iam admonuimus.*

Militúmque deditione ad Corcyram.

De *hac nihil hactenus scripsit, sed neq; in posteriorib.*

Vibullius his expositis Corcyræ *non minus.*

Paulò antè Pompeius Dyrrhachij *dicitur fuisse: ergo hoc suspectum.*

Eodem die Oricum *proficiscitur.*

Ex *hoc loco apparet* Pharsaliam, *ut ipse antea uocauit, non longe ab* Orico *distare, quippe qui eo die expositis militibus illuc profectus fuerit.*

Ibi Parthinorum *habebat.*

Horum meminit Plinius *lib.* III. *cap.* XXIII.

Sunt enim montani in Macedonia.

Hos sequuntur Bellidenses, *Amantini.*

Amantinorum & Bellidensium meminit Plinius *lib.* IIII. *cap.* X. *tametsi* Bullidenses *nominat. &* Bullidis *meminit* Ptolemaeus *&* Amantiae *ad idem littus* Orientale *maris* Hadriatici.

Iisdem temporibus Romae M. Caelius Rufus.

Digressio est ad res gestas in Vrbe, *à duobus* Praetoribus Caelio, *qui pro* Pompeio *erat, &* Trebonio, *qui pro* Caesare: *sed* Caelius *malum finem accepit.*

Vt sexies seni dies sine usuris creditae, &c.

In alijs libris non adest Seni dies, *& planè nullus est hic sensus, si* Seni dies *legatur.* Sen *autem tollatur, sensus erit, ut creditae pecuniae soluantur sine usuris per sex partes siue solutiones. cuius rei exempla sunt apud* Liuium.

Aliam tabularum nouarum.

Hîc uidetur aliquis defectus esse. Est enim insignis obscuritas posterioris legis.

Atque arma Capuae *essent comprehensa.*

Et hic locus male habet, propter uerbum Apparere: *quod, quò referendum sit, non apparet, nisi dicas proditione oppidi uisa apparere, quod durum est.*

Diuiúsq; quotidie tẽpus ad trãsportandũ, &c.

Sensus uidetur durior, sed hoc uult dicere, Caesaria*nos increbescentes uentos optasse, non remissos.*

Vltra Lyssum *millia passuum tria.*

Lyssus, *urbs est littoralis infra* Dyrrhachiũ, *ut patet apud* Ptolemaeum.

Pontones, quod est genus nauium Gallicarum. *Has postea* Naues onerarias *uocat.*

I.i.

His temporibus Scipio detrimentis quibusdã.

Diuertit nunc ad Scipionem Metellum Pompeij socerum, mira autem de eius auaritia scribit.

Et Naupacto relictis omni AEtolia, &c.

Dubium quomodo relicta præsidia intelligẽda, siquidem omni AEtolia potitus est.

Nuntiatum est adesse Scipionem cum legione.

Cum legionibus, legendum puto, ut & præcedentia & sequentia indicant.

Qui circum Thessaliam esse consueuerat.

Dubium Cottúmne an Cassium referat illud Qui.

Circiter millium passuum sex.

In alijs codicibus legitur circiter millia passuum tria, quod est uero similius.

Deductis oræ maritimis.

Redit rursus ad historiam Cæsaris & Pompeij.

Qui commeatus Biblide atque Mantinea.

Legendum puto Bullide atque Amantia, quòd hæ duæ urbes Cæsarem receperant, ut superius patuit.

Cæsar postquã Põpeiũ ad Asparagũ esse, &c.

Pompeius iam decesserat ultra Asparagum, ut sequentia indicare uidentur.

Interim certior factus P. Sylla.

Hic est insignis defectus historiæ: cæterum & pugnæ, quæ ab utraque parte multiplex fuit, hîc particula cernitur.

Et Cassium cum cohortibus adiungit.

Suspicor cohortium numerum omissum iniuria temporum.

Erat eo loco fossa pedũ XV & uallus, &c.

Vtitur nomine Vallus pro Vallum, nisi corrupti sint

loci sequentes. Vallus *enim est stipes ipse,& ex multis uallis fit uallum.*

Eò signo legionis illato.

Eò,*aduerbiũ ad locum est,non adiectiuũ ad* Signo.

Erat obiectus portis Eritius.

Dubiũ Eritius *sitne nomẽ propugnatoris,an propugnaculi: sed ex sequentibus propugnaculi uidetur.*

Cuius opera proditũ exercitũ C. Antonij,&c.

De C. Antonio *nulla antea est facta mentio,sed de* M. Antonio. *uerisimile est in defectu illo superiore id perscriptum fuisse.*

Duobus his unius diei prælijs Cæsar,&c.

Alibi *ita legitur,*Duobus *his unius diei prælijs* Cæsaris *desiderati sunt milites* DCCCCLX. Noti *equites* Romani CCCC. Et Tutianus Gallus *senatoris filius,& à* Placentia C. *& à* Pineolis C. *& à* Capua X *sacrati uiri : &* X *tribuni militum : & centuriones* XXXII.

Et Heracleam Senticam.

Heracleam Senticam *uocat* Ptolemæus *ad* Strymõnem *fluuium.*

Quarum una prima,altera tertia.

Vide *ad finem libri* VIII *de bello* Gallico,*ubi tamen alteram legionem uocat decimamquintam.*

Hæc erant millia LV *euocatorum.*

Hic *planè colligitur legiones fuisse tunc quinque millium.*

Cohortes in acie LXXX.

Vide *miseras & semilaceras ac planè duplo diminutas* Cæsaris *legiones.* Nam *octoginta cohortes efficere debebant millia* XL.

Iisdem ferè temporibus Cassius cum classe.

Tres Cassij fuerunt, Lucius, Caius, ac Quintus, Lucius ac Quintus pro Cæsare erant, Caius pro Pōpeio.

P. Sulpitius prætor Vibone ad fretum.

Plinius lib. III. cap. V. Hippo, quod nunc Vibonē Valentiam appellamus. Hæc ille. Ptolemæus ita quoque nominat, non lōge à Locris post Brutios in Italia.

Erat edictū Pōpeij nomine Amphipoli propositū.

Amphipolis oppidum est non longe à Strymōne amne qui Macedoniam à Thracis diuidit, de qua hîc loquitur. Sed constat Pompeium non rectà iusse.

Arcem Antiochiam captam esse.

Dubia est hîc lectio, arcémne Antiochenam an arcē Antiochiæ legere uelimus

EIVSDEM GLAREANI ARgumentum in librum IIII.

IN hoc quarto libro hæc ordine habentur. Primum Alexandriæ oppugnatio terra ac mari, fortuna utriusque partis, diuersum hominum studium ac conatus uarij. In eo bello rex Ptolemæus, cuius iussu Pompeius occisus erat, interijt: fratri ac sorori maiori Cleopatræ regnum traditur. Perijt à parte Cæsaris Euphranor Rhodius, & ad pontem milites legionarij CCCC. In Asia Cn. Domitius parum feliciter pugnat aduersus Pharnacem Armeniæ regem. Et Gabinius in Illyricis aduersum prælium fecit. Vatinij deinde diligentia res restitutæ, qui Octauium uicit, atque tota Illyride prouincia eiecit, prouinciámque ipsam incolumē, ipse cum omnibus suis incolumis re-

cepit. In Hispania mira de Q. Cassij Longini, quem Cæsar prætorem ibi reliquerat, auaritia narrantur. In dissensionem uenêre duces legionum. Tandem finem inuenit Cassius in Ibero flumine, ubi perijt. Deniq; res felicissime aduersus Pharnacem prælio ingenti uictum gestæ ultimo narrantur.

EIVSDEM GLAREANI Argumentum in librum V.

Quintus hic liber, sicut & sequens, non usque adeò accuratè scriptus est. Continet autem bellum gestum in Africa aduersus eos qui ex Pharsalica pugna illuc fugerant. Porrò hic solius Africæ res gestæ narrantur, non etiam aliarum nationum. Vrbes memorabiles Africæ, quas apud uel consedêre duces, uel pugnatum est, hæ sunt: Adrumetum, Ruspina, Leptis, Atilla, Isdra, Vzita, Agar, Zetta, Vacca, Thabena, Tegea, Vtica, Parada, Vsceta. In regno item Iubæ Cirtha, ac Zama. Duces Pompeiani, Scipio Metellus, Iuba rex, T. Labienus, C. Considius, Cn. Piso, duo Pacidij, M. Petreius, C. Vergilius Petronius, M. Aquinius, M. Cato, L. Cæsar. Periêre autem & multi à pugna, iusta acie congressis legionibus, & alijs item locis Pacidius, Tullius, Rufus, M. Cato, qui sibi ipse mortem Vticæ consciuit: C. Considius, Petreius, Iuba rex cũ suo præfecto Sabura, Afranius, Faustus, denique ipse Scipio. Cæsar tota recepta Prouincia in Italiam redijt.

EIVSDEM GLAREANI AR-
gumentum in VI *librum.*

E X *omnibus his libris solus hîc uix dimidiatus, mutilus, & undique corruptus habetur. Continet autem bellum inter* Cn. *Pompeium,* Pompeij *filium, &* C. *Cæsarem.* Nam *ut ex Africa fugerat* Cn. Pompeius, *Prouinciam ulteriorem* Hispaniæ *occupauerat, præsertim* Bethicæ *loca:* Sex. Pompeius *Cordubam præsidio obtinebat,* Cneius Vllam *oppidum oppugnabat, à qua retractus, ut* Cordubæ *subsidio ueniret.* Deinde *ad* Atteguam *deuenitur, eam* Cæsar *expugnauit.* Res *deinde gestæ ad* Vcubim *oppidum.* Denique *ad* Mundam *uentum, ubi acri pugna uictus* Pō*peius, occisi* Labienus *&* Actius Varus, *cum triginta millibus hominum.* Pompeius Cartheiam *concessit,* Cæsar *Cordubam ac* Hispalim *recepit.* Cum *uero* Cn. Pō*peius in* Lusitaniam *fugeret, occisus est in itinere.* Vltima *oratio* Cæsaris *est* Hispalis *habita post ostensum* Cn. Pompeij *caput.*

F I N I S.

PRIſCORVM GALLIAE POPVlorum, Vrbium, Fluuiorum, Montium perbreuis deſcriptio, uulgari lingua reddita.

A

Accuſiorum Colonia, Gratianopolis oppidum, Grenoble, ou il y a Parlement.
Aduatici, pop. Le pais a l'entour de Boſleduc.
Agathopolis, Mõſpeſſulanus, oppidum, Montpelier.
Agendicum, opp. Sens, ou Prouins.
Aginnum opp. Angoleſme.
Agrippinenſes pop. ceulx de Coulongne.
Albauguſta, opp. Alby Albion, Liſle de Bretaigne.
Alduaſdubis, & Dubis fluuius. Le Doux.
Alexia, opp. Aliſe en la duché de Bourgongne.
Allobroges, pop. Sauoye & Daulphinois.

Alpes,Les grans mõtaignes ſeparãs la Gaule d'Italie.
Altiſiodorum,oppidum,Auxerre.
Ambarri,pop.Le pais a l'entour de Neuers.
Ambiani,pop.Le pais a l'entour d'Amiens.
Ambiliates,pop.Le pais a l'entour d'Aurenches.
Ambiuariti,pop.Branbanſons.
Ambrones,pop.Le pais d'Ambrun.
Anatilorum,opp.Prouins en Brie.
Andes & Andegauenſes,pop.Le pais d'Aniou.
Antipolis opp.Ragny. Antricum opp.Chartres.
Antuacutum & Antuerpia opp.Enuers,Anduuorp.
Aquæ Sextiæ,oppidum,Aix en Prouence.
Aquitani,pop. & Aquitania pars Galliæ, Gaſcongne & Guienne.
Aquiſgranum,oppidum Aix.
Arar fluuius,La riuiere de Sone.
Arauſij,oppidum,Orenge.
Arduenna ſilua.La foreſt Dardaine.
Arelate,Colonia Romanorum,Arles.
Aremici,& Artomici,ſeu Arecomici,pop.Le pais d'Armignac.
Argentoratum & Argentina,opp.Straſbourg.
Argentuaria,& Colũbaria,opp. Colombier en Elſas.
Armoricæ ciuitates, Les uilles qui ſont en Bretaigne.
Aruerni,pop.Le pais d'Auuergne.
Atrebates,pop.Le pais a l'entour d'Arras.
Auaricũ,opp.Chaſteau neuf,ou Viarron en Berry.
Audomatum opp.Langres. Auenio opp.Auignon.
Auenticum opp.Auenche,au pais de Vaud.
Aulerci populi,Heduorum clientes,Roane.
Auguſta Aſciorum opp.Aux en Guienne.

Augusta Rauracorū *op.*Auguste *sus* Basle,*pres le* Rhin.
Augusta Romanduorum *opp.*Luxembourg.
Augusta Suessionum *opp.*Soissons.
Augusta Treuirorum,*opp.*Triers.
*Augustodunum,opp.*Autun.
*Augustonemetum opp.*Neuers.
*Augustoritū,op.*Poictiers. *Aulerci,*Orleans,*ou* Roan.
*Ausci,& Auscitani pop.*Le *pais d'*Aux.
*Axona,fluuius.*le Disne en Guienne.
*Axonam Cæsar dicit esse in extremis Rhemorum fini bus.*Cest *la riuiere* D'aesne.

B

*Bæenis silua,*La *forest negre,silua nigra.*
*Bataui,pop.*Hollandois.
Belgæ po.& Belgica pars Galliæ,la Gaule Belgique.
*Belgium opp.*Beauuois.
*Bellocassij,pop.*Le *pais a l'entour de* Bayeux.
*Bellouaci,pop.*Le *pais a l'entour de* Beauuois.
*Betiræ & Blitera opp.*Besiers en Guienne.
*Bibracte.*Beaulne *en la duché de* Bourgongne.
*Bibrax opp.*Bray *en la* Conté *de* Rhetel.
*Bigerriones pop.*Bierne,Bigorre.
*Bituriges,*Le *pais a l'entour de* Bourges.
Blannonij pop. Le *pais a l'entour de sainct* Iehan de Morienne.
Boij,pop. Borbonnois, & Bauiere, *ou* Boeme *en* Alemaigne.
*Bonna,opp.*Bonne *pres* Colongne *sus le* Rhin.
Bracata Gallia,La Prouence.
*Brānouices,populi,*La *ual de* Moriēne,*ou* Briāsonnois.
*Burdegala,oppidum,*Bordeaulx, *ou il y a parlement.*

C

Cabillonum & *Catalaunium opp.* Chalons *sus* Marne, & *ung autre sus* Sone.

Cadetes, pop. Le pais al'entour de Chasteaubriant *en* Bretaigne.

*Cæsaromagus,opp.*Beauuois.

Cadurci,pop.Le pais de Querci, *ou est* Caors.

Caletes,pop.Le pais a l'entour de Calais,*port de mer.*

*Caninefates,*Le *pais de* Gorclz *en* Hollande.

Cantabri, popu. Biscaye, *ou ceulx d'entour* Cuse *en* Guienne.

Carcasso & *Carcasio opp.*Carcassonne.

*Carnutes,pop.*Le *pais a l'entour de* Chartres.

*Carpentoracte opp.*Carpentras.

Catuaci,ceulx du pais de Douay.

Celtæ pars Galliæ, *selõ* Cesar *tout le pais qui est entre la* Belgique & Aquitaine.

*Cemmenij montes,*Les *montaignes d'*Auuergne.

*Cœnomanni,pop.*Le Maine.

*Centrones,*Centron *au pais du* Liege.

*Centrones pop.*Le *pais de* Tarentaise.

Cisalpina Gallia Romanis, A *nous celle qui est dela les mons.*

Colonia Agrippinensium,*opp.*Cologne *sus le* Rhin.

Comata Gallia,Toutes *les* Gaules,*excepté la* Prouence, *qui estoit grande.*

*Condate opp.*Renes *en* Bretaigne.

*Condiuincum opp.*Nantes, *ville capitale de* Bretaigne.

Condrusi, ceulx d'empres Aix *entre* Trect & Iuliers.

*Curiosolites pop.*Le *pais de* Cornoaille *en* Bretaigne.

D

Datij pop. Le païs a l'entour Dax en Guienne.
Diablintres pop. Le païs a l'étour de Leondoul en Bretaigne.
Dinia opp. Digne en Prouence.
Diuodurum opp. Theonuille en Luxembourg, ou Metz en Lorraine.
Druentia fluuius, Druence en Prouence.
Druidum ciuitas, Dreux pres de Chartres.
Ducona opp. Caors en Querci.
Duriorigum opp. Vanes en Bretaigne.
Durocotorum opp. Reims en Champaigne.

E

Ebrodunum opp. Ambrun.
Eburones pop. Le Liege.
Eburonices pop. Le païs d'Eureux.
Elauer fluuius, Alier.
Elcebus opp. Schlestat en Elsas.
Elusaberris opp. Aux en Gascoigne.
Equestris ciuitas opp. Neufchastel en Suisse.
Essui pop. Retelois oultre Tournay.

F

Forum Claudij opp. Tarentaise.
Forum Segusianorum opp. Bourg en Bresse.
Fossæ Marianæ opp. Aigues mortes.

G

Gabali, opp. Ceulx de Lodesue.
Garites, Le païs d'Agenois en Guienne.
Garoceli, Ceulx d'empres Tarentaise.
Garumna fluuius, Garonne separant les Aquitains des Celtes selon Cesar.

Gebenna mons, la montaigne de Geneue, & selon aucuns les mons d'Auuergne.
Genabum, seu *Mediolanium* opp. Orleans.
Geneua opp. Geneue.
Gergouia opp. Clairemont en Auuergne.
Gessoriacum opp. Boulongne sus la mer.
Gordunni pop. Gantois.
Grinnes pop. Cleuois.
Grudij pop. Le pais a l'entour de Louain.

H

Harudes pop. Le pais a l'entour de Constance en Alemaigne.
Hedui pop. Le pais a l'entour d'Autun en Bourgõgne.
Heluij pop. Le pais d'Albigeois.
Heluetij pop. Les Suysses.
Herculis portus, opp. Ville franche.
Hisara fluuius, Lisare.

I

Iatinum opp. Meaulx.
Itius portus, Cales, port de mer.
Iuliobona opp. Honfleu en Normandie.
Iuliomagus opp. Angiers.
Iura mõs & *Iurassus*, La Iou, ou les mõs sainct Claude.
Latobrigi, Ceulx d'empres Losanne.
Lemanus lacus, Le lac de Geneue & de Losanne.
Lemouices pop. Limosins.
Lepontij, die Granpundter.
Lexobij & *Lexouij* pop. Le pais a l'entour de Lisieux.
Ligeris fluuius, Loire.
Lingones & *Lõgones* pop. Le pais a l'entour de Lãgres.
Lugdunum, antea *Insula*, opp. Lion.

Lutetia & Leucotetia opp. Paris, chef & court souueraine de France.

M

Mandubij pop. Le pais a l'entour d'Alesie en la duché de Bourgongne.

Massilia opp. Marseille.

Matiscon, opp. Mascon sus Sone.

Matrona fluuius, Marne, separant en partie auec Seine, les Belges d'auec les Celtes selon Cesar.

Mediolanum & Mediolanium opp. Xainctes.

Mediomatrices popu. Le pais a l'entour de Metz en Lorraine.

Meldæ & Meldenses po. Le pais a l'ẽtour de Meaulx.

Melodunum opp. Melun sus Seine.

Menapij pop. Gueldres & Cleues.

Moguntiacum & Moguntia, opp. Maience sus le Rhin.

Morini pop. Le pais a l'entour de Terouanne.

Mosa fluuius, La Meuse.

Mosella fluuius, Moselle.

N

Nancium oppidum, Nanci en Lorraine.

Nãnetes po. Le pais a l'entour de Nãtes en Bretaigne.

Nantuates siue Antuates, rectius Vautuates, populi, Le pais de Vaud.

Narbona, seu Martius Narbo, colonia Romanorum, opp. Narbonne.

Nemausum Colonia, Nimes.

Nemetes pop. Le pais a l'entour de Spire sus le Rhin.

Neruij pop. Ceulx d'alentour de Tournay.

Neustrij pop. & Neustria, Normandie.

Nitiobriges po. Le pais a l'entour de Montpeslier, Vzes.

Neodunum opp.Leondoul en Bretaigne.
Neomagus opp.Nogens ſus Seine.
Nouiodunum opp.Noyon.

O

Octodurum opp.Sion en Vallois.
Olbia opp.Aires en Prouence.
Oſiſſini pop.Le pais de Landriguer en Bretaigne.

P

Pariſij pop.Le pais a l'entour de Paris.
Petrocorij,pop.Perrigeux.
Pictones pop.Le pais a l'entour de Poictiers.
Pictonum promontorium,Poictou.
Pleumoſij pop.Flandrois.
Pyrenæi montes,Les mons Pyrenees,Les mons de Foez, ſeparans la Gaule des Eſpaignes.

R

Ratiaſtum opp.Limoges.
Rauraci pop.Le pais a l'entour de Baſle.
Regiacum opp.Arras.
Rhedones pop.Le pais a l'étour de Renes en Bretaigne.
Rhenus flu.Le Rhin ſeparant la Gaule d'Alemaigne.
Rhemi pop.Le pais a l'entour de Reims en Châpaigne.
Rhodanus fluuius,Le Rhoſne.
Rotomagus opp. Rouen, chef de Normandie, ou il y a Parlement.
Rutheni pop.Le pais a l'entour de Rhodez.

S

Sabis fluuius,Sambre.
Sallyes pop.Le pais a l'entour d'Arle.
Samarobriga ſeu Samarobrina opp.Cambray.
Santones & Xantones pop.Xaintonge.

*Santonum portus, opp.*La Rochelle.
*Scaldis fluuius,*Leschault.
*Sebusiani & Segusiani pop.*La Bresse.
Sedusij & Seduni pop. Le pais a l'entour de Sion en Vallois pres les Alpes.
Senones populi uetustissimi Galliæ, Le pais a l'entour de Sens.
*Segalauni pop.*Le pais d'entour Valéce en Daulphiné.
*Segodunum,opp.*Rhodez.
*Sequana fluuius,*La Seine separant les Belges en partie auec Marne des Celtes,selon Cesar.
*Sequani,postea Burgundi,populi.*Bourguignons.
*Sicambri pop.*Gheldrois.
*Sicor portus,*Luson.
Stauia opp. Estauayer au pais de Vaud.
*Suessiones pop.*Le pais a l'entour de Soissons.

T

Tarbelli pop. Le pais a l'entour de Tarbe, ou ceulx de Bayonne.
*Tarusates pop.*Le pais a l'entour de Turse.
*Tauriscum,opp.*Tarrascon.
*Tauroentium,opp.*Tollon en Prouence.
*Tectosages pop.*Le pais de Languedoc.
*Templum Veneris,*Cap de creux.
*Tigurinus pagus,*Zurich en Suisse.
*Togata Gallia,*La Gaule dela les Mons.
*Tolosates pop.*Le pais a l'entour de Tolouse, ou il y a Parlement.
*Traiectum,opp.*Vtrecht.
*Trecæ opp.*Troye en Champaigne.
*Treuiri pop.*Le pais a l'entour de Triers.